




UC-NRLF
B 2 972 690


Berkeley
LIBRARY OF THE UNIVERSITY OF CALIFORNIA


Berkeley
LIBRARY OF THE UNIVERSITY OF CALIFORNIA

BULLETIN

DE LA

SOCIÉTÉ D'ÉTUDES

SCIENTIFIQUES ET ARCHÉOLOGIQUES

DE LA

VILLE DE DRAGUIGNAN



TOME XII.

(SUPPLÉMENT).

(1878—1879)

DRAGUIGNAN

IMPRIMERIE DE C. ET A. LATIL, BOULEVARD DE L'ESPLANADE, 4

BULLETIN

DE LA

SOCIÉTÉ D'ÉTUDES

SCIENTIFIQUES ET ARCHÉOLOGIQUES

DE LA

VILLE DE DRAGUIGNAN

TOME XII.

(SUPPLÉMENT).

(1878—1879)

DRAGUIGNAN

IMPRIMERIE DE C. ET A. LATIL, BOULEVARD DE L'ESPLANADE, 4

LE COUVENT ROYAL DE SAINT-MAXIMIN EN PROVENCE

PAR

L'ABBÉ J. H. ALBANÉS,
DOCTEUR EN THÉOLOGIE ET EN DROIT CANONIQUE.

DOCUMENTS INÉDITS.

Documents inédits.

I.

LETTRES DE PIERRE DE NOGARET, ABBÉ DE SAINT-VICTOR,

Unissant tous les biens que l'abbaye possédait à Signe, au prieuré de la Sainte-Baume, à la demande du prieur Raimond Amati. — 1174.

In nomine domini nostri Jhesu Christi. Anno incarnationis ejus M°C°LXX°IIII°, regnante Frederico, imperatore, Ildefonso, illustri rege Aragonum, Provincie gubernatore. Factum est ut *Raimundus Amati, monachus Massilie, et prior ecclesie sancte Marie de la Balma,* a Petro Massilie Abbate, et ejusdem monasterii conventu, non paucis supplicationibus postularet, quatinus, pietatis intuitu, tam ad sui sustentationem, quam successorum ejus, in jam dicto venerabili loco sancte Marie, ad Dei servicium, sub obedientia monasterii Massilie degentibus, in perpetuum concederent et donarent possessiones omnes quas habebant in castro de Signa, tam in hominibus, et tenuras eorum, et annuis censibus, quam in vineis, et pratis, ac terris, cultis et incultis, et pascuis, et omnino omnes possessiones, et omnia jura que in eodem castro et territorio habebant. Cujus peticionibus predictus abbas Petrus, communi consilio fratrum, in presentia tocius capituli, prescriptam sancte Marie ecclesiam, per interpositam et presentem supradicti Raimundi personam, omnibus his que jam dicta sunt, scilicet, que in castro et territorio de Signa monasterium Massilie habebat, sive possessiones, sive jura, investivit, et habitatoribus ecclesie sepedicte sancte Marie de la

Balma, tam presentibus quam futuris, in perpetuum habenda et possidenda concessit. Tali siquidem tenore, ut, nomine predicti honoris, prior illius ecclesie annuum censum, XXX. scilicet solidos, camarario, ad cujus officium honor ille fuerat deputatus, persolvat. Hanc donationem, sive concessionem, omnis fratrum conventus cum assensu laudaverunt. Ego Petrus, Massilie abbas, cum concordia et voluntate fratrum nostrorum, hanc donationem, sive concessionem, in presentia nostri Massiliensis capituli feci; et, ut sit notum tam presentibus quam futuris, hanc cartam communi fratrum consensu fieri jussi Et ut omnibus eam videntibus possit esse in testimonium, sigillo nostro signari precepi. Cujus rei fratres infra conscripti testes fuerunt: Raimundus Aerra, tunc temporis prior claustrensis, Aldebertus, camararius, Gaucelmus, sacrista, Bertrandus, helemosinarius, Bernardus, cellararius, Willelmus, infirmarius, Petrus, refectorarius, Amatus, Bernardus Guillelmi, Raimundus Bernardi, Poncius Debe, Berengarius de Castlucio, Bernardus de Durban, et alii plures, qui huic donationi, sive concessioni, interfuerunt. Ego Bernardus de Podio, custos librorum, hanc cartam, mandato abbatis, scripsi et dedi.

Arch. du couv. de S.-Max. **Arm. 3. Sac 1. Num. 1. Orig. Le sceau manque.**

II.

DONATION A PÉRÉGRIN, PRIEUR DE SAINT-MAXIMIN,

Par Laurigue, clerc d'Ollières, de tous ses biens présents et à venir, avec réserve de l'usufruit, sa vie durant.— 28 mai 1225.

Notum sit omnibus hominibus hanc publicam cartam legentibus, presentibus et futuris, quod anno ab incarnatione Domini M°CC°XXV°, V° kalendas junii. Ego Lauriga, clericus in castro de Oleriis, prudens de jure, sciens de facto, non deceptus, non coactus, nec ab alico circumventus, set de beneplacito meo et

spontanea mea voluntate, et pro salute anime mee, et in remissione omnium peccatorum meorum, et parentum meorum, retento tamen usufructu in vita mea, et omnibus diebus vite mee, bona fide et absque dolo, dono et conscedo domino Dẹo, et beate Marie virgini, et beato Victori, et trado tibi *domino Peregrino*, recipienti nomine monasterii beati Victoris Massilie, me ipsum, et omnia bona mea, mobilia et inmobilia, et se movencia, et omnia jura mea que abeo, vel abere debeo, vel visus sum habere, in castro de Oleriis, et in territorio ejusdem castri, vel ubicunque sint, et omnia alia bona que in antea, cum Dei adjutorio, adquirere potuero. Res vero inmobiles sunt hec, que modo dono et trado, sicut continetur superius. Silicet, domus mea, que continetur, ab una parte, cum muro dicti castri de Oleriis, et ab alia, cum domo fratris mei Enrici. Et terram meam *de Petra ficha*, que confrontatur, ab una parte, cum terra dels Carotenx, et ab alia, cum terra de P. Stephano, et ab alia, cum terra de Petro Codenello, et ab alia, cum terra de W. Perdigono. Et campum *de Joanna*, et continetur cum terra dels Giraudenx, et ab alia, cum condaminia beate Marie, et ab alia parte, cum campo de P. Rebollo. Et unum ortal *a Vila viella*, et continetur, ab una parte, cum terra de P. Codenello, et ab alia, cum terra de G. Segiranno, et ab alia, cum via publica. Et in eodem loco, una terra que continetur, ab una parte, cum *ecclesia beate Marie de Vila viella*, et ab alia, cum terra de P. Rebollo, et ab alia, cum terra dels Giraudenx. Et terram unam *del Ensert*, et confrontatur cum terra de Vidal, ab una parte, et ab alia, cum terra dels Rosenx, et ab alia, cum via publica. Et ferraginem unam que est in Podio Lupario, et confrontatur, ab una parte, cum terra que fuit condam de Ugone Pellipario, et ab alia, cum terra dels Fabres, et ab alia, cum terra de P. Codennello. Et terram unam *del Fraise*, et confrontatur, ab una parte, *cum rivo*, et ab alia, cum terra de Bertrando Laurenton, et ab alia, cum terra de P. Engilrasa. Et terram unam que est *a la Bruguiera*, et confrontatur, ab una parte, cum terra de P. Gairardo, et ab alia, cum terra de P. Codenello, et ab alia, cum terra de Bellieut Gontiera. Et medie-

tatem terre que est *in valle Aquis*, et continetur cum terra dels Almerans, et ab alia parte, *cum via Mounaressa*, et ab alia, cum terra de Simon. Et in eodem loco, medietatem unius terre, et continetur cum terra dels Berbiguiers, ab una parte, et ab alia, cum via Mounaressa, et ab alia, cum terra de Bellieut Gontiera. Et ortum unum ante portam de dicto castro de Oleriis, et continetur cum orto de lo Gontier, et ab alia, cum orto dels Berbiguiers, et ab alia parte, cum orto de P. Gontier. Et vineam unam *a Costa Rogier*, et continetur, ab una parte, cum vinea dels Gairartz, et ab alia, cum vinea de W. Codenello, et ab alia, cum vinea de P. Rebollo. Et in eodem loco, unam aliam vineam, et continetur, ab una parte, cum vinea dels Ricarz de Porcils, et ab alia, cum vinea de P. Gontier, et ab alia, cum vinea de P. Gairat. Et vineam unam *al Serre*, et continetur, ab una parte, cum vinea de P. Codenello, et ab alia, cum vinea dels Segirans. Hanc autem concessionem et donationem ego Lauriga volo, et semper volam, et non dixi nec dicam, nec feci nec faciam quo minus duret in suo vigore. Actum in ecclesia beate Marie, in castro de Oleriis. Et isti sunt testes vocati et rogati ab utraque parte, P. de Monteferranno, monacus, G. Verdellon, R. Gavarron, P. Azenart, S. Sabatier, Ricardus, R. de Rot, W. de Rocafolio, Ranaudus Gairardus, Rostan Textor, Gi. Girauz, B. Bubulcus, R. Blancart, V. Tavernier, de castro de Bras. Et *ego dominus Borgondionus de Tritis, et dominus de Oleriis*, interfui, et concedo et confirmo *tibi Peregrino, priori Sancti Maximini*, hoc donum quod facit et fecit tibi Peregrino, recipienti nomine dicti monasterii, et pro dicto monasterio, dictus Lauriga; et ut dictus monasterius *(sic)* possit tractare predictum donum ut res suas, ex parte nostra, sicut superius continetur, et ut melius credatur, cum sigillo meo hanc cartam sigillo. Et promitto tibi Peregrino, predicto nomine monasterii, omnia predicta salvare et defendere, et manutenere ab omni persona. Et ego G. Odo, publicus notarius domini Comitis in villa Sancti Maximini, interfui, et mandato utriusque partis, hanc cartam scripsi, et hoc signum meum posui.

***Arch. dép. des B. du Rh.* S. Victor. Charte 533. O rig. Le sceau manque.**

III.

LETTRES D'ÉTIENNE, ABBÉ DE SAINT-VICTOR,

Nommant au prieuré de Saint-Maximin maitre Adam, clerc de Charles d'Anjou, comte de Provence.— 31 août 1254.

In nomine domini. Amen. Cum mediantibus instrumentis facta preterita ad memoriam reducantur, et multe questiones extraordinarie sint sopite, presens carta notificet presentibus et futuris, quod, anno domini M°CC°L°IIII°, pridie kalendas mensis septembris, nos Stephanus, Dei gratia Abbas monasterii Sancti Victoris de Massilia, de voluntate communi et acensu tocius conventus ejusdem monasterii, Deum habendo pre occulis, et utilitatem monasterii supradicti, conferimus, damus vel quasi damus, et concedimus dilecto et speciali nostro *magistro Ade, canonico Turonensi, et clerico domini Karoli, comitis Provincie*, tanquam bene merito, prioratum, seu ecclesiam, vel ecclesias ville Sancti Maximini, cum omnibus possessionibus, proprietatibus, pertinenciis, et appendiciis dicti prioratus, vel ecclesie, vel ecclesiarum predictarum; regendum, gubernandum, seu regendam vel gubernandam, vel regendas, ut dictum est, per se vel per alium, quamdiu vixerit, pacifice et quiete, et sine aliqua molestatione. Ita tamen quod dictus magister A. teneat continue, vel ejus locum tenens, duos bonos monacos et sacerdotes, vel unum sacerdotem et alium diaconum; qui dicto magistro A., vel ejus locum tenenti, serviant et obbediant in his in quibus debebunt, et divinum officium exerseant in dicta ecclesia, in ordinibus supradictis. Et dictus magister A., vel ejus locum tenens, provideat tantum in victualibus monachis antedictis, et nos dictus Abbas, vel successores nostri, providebimus dictis monachis in vestibus, bono modo. Verumtamen, nos dictus Abbas, de voluntate dicti cappituli, seu conventus, concedimus, nomine nostro et successorum nostrorum, dicto magistro A., quod omnes monachi, vel monacus,

qui pro tempore fuerint, vel facient residenciam in dicta ecclesia Sancti Maximini, ut dictum est, quod ipsi monachi jurent nobis dicto Abbati, nomine dicti magistri A., ipso presente vel ejus locum tenente, quod ipsi erunt fideles dicto magistro A. et ecclesie supradicte; et quod tam ipsum magistrum A. quam suos, et sua etiam, et res dicte ecclesie, salvabunt, et defendent, et custodient; et nichil de dictis bonis vel rebus dabunt, vel permutabunt, vel vendent, vel comendabunt, vel alio modo alienabunt, absque licencia dicti magistri A., vel ejus locum tenentis. Et sua secreta et consilia nemini revelabunt, absque licencia dicti magistri A., vel ejus locum tenentis, nisi dicta secreta vel consilia essent contra dictum Abbatem, vel monasterium supradictum. Tamen, si contingeret quod dicti monachi, vel monacus, essent inobedientes vel inobediens, vel incorrigibiles vel rebelles, vel incorrigibilis vel rebellis dicto magistro A., vel ejus locum tenenti, nos dictus Abbas promittimus dicto magistro A. et ejus locum tenenti, nomine nostro et successorum nostrorum, dictos monacos, vel monacum, in alium locum transferre, seu mutare, quociens dictus magister A., vel ejus locum tenens, nos super hoc duxerit requirendos; et alios, vel alium, duos bonos monacos, vel monacum, corrigibiles et disciplinabiles, seu corrigibilem vel disciplinabilem, apud dictam ecclesiam Sancti Maximini mitemus et ponemus, ut ibi Deo serviant, ut dictum est, in ordinibus antedictis. — Nos tamen dictus magister A., existentes presentes, et omnia supradicta recipientes, et concedentes, et acceptantes, tactis corporaliter sanctis Dei evangeliis, juramus vobis dicto domino Abbati, esse fideles tam vobis quam monasterio supradicto; et jura ecclesie Sancti Maximini, pro posse, salvare et defendere, et non alienare possessiones dicte ecclesie, et alienata, pro posse, recuperare. Et promitimus dictam ecclesiam servare immunem ab omni debito, tempore nostri regiminis; et censum consuetum ipsius ecclesie in passe solvere dicto monasterio, ab hac die presenti in antea, scilicet, .X. modia frumenti et .V. modia ordei, ad mensuram Massilie; et officialibus dicti monasterii .XI. solidos et .VI. denarios regalium coronatorum.

Et nos Abbas supradictus, cum voluntate dicti conventus, *absolvimus et aquitiamus, et immunem facimus vos dictum magistrum A.*, et vestros, et ecclesiam Sancti Maximini supradictam, de omnibus censibus et serviciis, et *de omnibus perceptis in dicta ecclesia Sancti Maximini*, vel occasione dicte ecclesie, *a vobis vel a vestris, retroactis temporibus, in quibus eratis dicto monasterio obligatus.* Actum in cappitulo monasterii Sancti Victoris supradicti, presente, et concedente, et concenciente toto conventu dicti monasterii, scilicet, R., priore claustrali, R., subpriore, G., tercio priore... Et coram me P. Boneto, puplico notario dicti Karoli, illustris comitis Provincie...

Arch. dép. des B. du Rh. S. Victor. Ch. 636. Orig.

IV.

PREMIER DIPLÔME DE CHARLES II,

Assignant à Pierre d'Allamanon, évêque de Sisteron, chargé de la construction de l'église et du couvent de Saint-Maximin, un traitement de quinze sous par jour.— 13 novembre 1295.

KAROLUS SECUNDUS, Dei gratia rex Jerusalem et Sicilie etc., Senescallo Provincie et Forcalquerii, tam presenti quam futuris etc. NOLENTES venerabilem in Christo patrem *P(etrum), Sistaricensem episcopum,* dilectum consiliarium nostrum, in nostris serviciis expensis propriis laborare; volumus, et fidelitati vestre precipimus, quatenus, *tempore illo quo in serviciis operis constructionis ecclesie et domorum loci Sancti Maximini, ad quod ipsum et priorem ejusdem loci prepositos in solidum ordinavimus, vacaverit*, expensas eidem episcopo de pecunia nostre curie, que per manus vestras, seu cujuscunque officialium nostrorum, extiterit, ministretis, ad rationem de solidis quindecim coronatorum per diem; expensas similes ministrantes eidem, quotiens idem episcopus, ad requisitionem cujuscunque ex vobis, in

aliquibus aliis nostris serviciis laborarit. Apodixas de hiis que dederitis recepturi. Mandato vel ordinatione in contrarium non obstante. Presentes autem literas originales, postquam eas quilibet vestrum inspexerit, prout et quantum fuerit oportunum, (et) in publicam formam redigi feceritis, ad cautelam, prefato episcopo volumus remanere, aput vestrum singulos vigorem similem habituras. Datum Rome? per Bartholomeum de Capua, militem, regni Sicilie prothonotarium, et magne nostre curie magistrum rationalem, anno domini M°CC°XCV°, die XIII. mensis novembris, IXe indictionis, regnorum nostrorum anno XI°

Arch. dép. des B. du Rh. Reg. B. 1369. fol. 123.

V.

DEUXIÈME DIPLÔME DE CHARLES II,

Attestant qu'il a acheté et donné aux Dominicains de Saint-Maximin la bibliothèque de son fils Louis, évêque de Toulouse.— 16 mars 1298.

KAROLUS SECUNDUS, Dei gracia rex Jerusalem et Sicilie, ducatus Appulie et principatus Cappue, Provincie et Forcalquerii comes, Senescallo Provincie, fideli suo, graciam suam et bonam voluntatem. CUM PRO PRECIO *quorumdam librorum legatorum* religiosis viris fratribus Petro Scarreni et Francisco Bruni de Apta, ordinis Minorum, *per bone memorie Lodoycum, natum nostrum, olim episcopum Tholosanum, emptorum per nos a fratribus ipsis, et datorum viris religiosis fratribus predicatoribus loci beate Marie Magdalene de Sancto Maximino,* in libris ducentis triginta una coronatorum, eisdem Fratribus Minoribus teneamur, et mandemus eis exinde per Mancipum, ebreum de Aquis, pedagerium pedagiorum Digne et Valansolie, ac gabellotum jurium et reddituum curie de Stoblono, de peccunia scilicet per eum proinde curie nostre debita, in festo Assenssionis Domini

primo futuro, et ab eodem festo in antea; fidelitati tue precipimus, quatenus, si contingeret quod idem Mancipus in exhibitione dicte peccunie, tunc temporis, dificultatem ingereret, negligenciam vel defectum, tu eum ad satisfactionem integram et debitam, presencium auctoritate, compellas. Datum Aquis, per magistros racionales magne curie nostre, anno domini M°CC°XCVIII°, die XVI° marcii, XIe indictionis, regnorum nostrorum anno XIV°.

Ibid. Reg. B. 1369. fol. 156. v°.

VI.

TROISIÈME DIPLÔME DE CHARLES II,

Renouvelant l'assignation faite à Pierre d'Allamanon, qui dirigeait la construction de l'église de Saint-Maximin.— 13 mai 1298.

Karolus secundus, Dei gratia rex Jerusalem et Sicilie, ducatus Apulie et principatus Capue, Provincie et Forcalquerii comes, Senescallo Provincie et Forcalquerii, presenti et futuris, fidelibus suis, gratiam suam et bonam voluntatem. Dudum vobis nostras direximus litteras in hec verba : — Karolus secundus... Nolentes venerabilem... *(V. ci-dessus n° IV).*— Volentes autem predictum mandatum nostrum in sua persistere firmitate, fidelitati vestre precipimus quatenus, *quotiens dictum episcopum in serviciis operis constructionis ecclesiarum et domorum locorum Sancti Maximini et beate Marie de Nazaret, de Aquis,* vel ad mandatum et requisitionem pro parte curie nostre, in ejusdem curie nostre serviciis, *vacare contingerit,* pro tempore vacationis ejusdem, expensas exhiberi mandetis. Apodixas de hiis que exhiberi feceritis recepturi. Mandato contrario non obstante. Presentes autem literas remanere volumus presentanti, postquam eas videritis, quantum fuerit oportunum. Datum Aquis, per magistros rationales magne nostre curie, anno domini M°CC°XCVIII°, die XIII. maii, XIe indictionis, regnorum nostrorum anno XIV°.

Ibid. Reg. B. 1369. fol. 123.

VII.

QUATRIÈME DIPLÔME DE CHARLES II,

Ordonnant au Sénéchal de Provence de prendre sur les biens du Trésorier les sommes affectées à la construction de l'église de Saint-Maximin, indûment retenues par lui. — 20 septembre 1303.

KAROLUS, Dei gratia, Jerusalem et Sicilie rex, Riccardo de Gambatesa, militi, comitatuum nostrorum Provincie et Forcalquerii Senescallo, dilecto consiliario, familiari et fideli nostro, gratiam et bonam voluntatem. NOVISSIME AD NOTITIAM NOSTRAM fide digna insinuatio pertulit, quod, licet olim, per diversas vices, processerint a nobis et *provisiones et ordinationes quamplures, pro opere scilicet ecclesie Sancti Maximini, et necessitatibus fratrum in illa degentium,* Bonacursus tamen de Tecco, de societate Bardorum de Florentia, receptor fiscalis pecunie in partibus istis, non veritus voluntati nostre in hac parte dare se obvium, tot anfractus, tot impedimenta, tantaque obstacula, variarum scilicet difficultatum et defalcationum ingessit in illis solvendis, et ingerit, quod *prosecutio dicti operis sepe perinde intermissa est, magnosque passa defectus, dictique fratres multiplici propterea necessariorum inopia sunt oppressi;* ac, sicut insinuatione predicta interjectum est, quantumcumque per priorem dictorum fratrum habitus ad te propterea fuisset recursus, tuque niteteris et velles ea reprimere, nequaquam tamen in hoc jamdictus Thesaurarius parere tibi voluit, nec omisit quin pro sua prava voluntate se haberet in illis. Cum itaque non mediocriter hec sed admodum moleste feramus, cum, *etsi ceteras ecclesias, venerabiles utique (Dei) domos, sincero et caritativo, ut debemus, affectu prosequimur, specialiori tamen ad prememoratam ecclesiam Sancti Maximini, utpote manuum nostrarum opus, provehamur;* providimus, et expresse tibi, sub pena gratie nostre, precipimus,

ut certificatus statim a priore jamdicto, etiam et aliter, si et prout expedierit, de toto eo quod de provisionibus et assignationibus factis per nos ecclesie fratribusque predictis, tentum et defalcatum seu diminutum est hucusque qualitercumque per prefatum thesaurarium, contra tenorem litterarum nostrarum, de predictis provisionibus et assignationibus indultarum, et quod proinde restat solvendum, inmediate illud de bonis ipsius thesaurarii exigas, et exactum dicto priori exhibeas et exolvas. Et quia, considerato per nos quam graviter, et contra voluntatem nostram, in istis excesserit, visum est quod non sufficiat ea pena, sed gravius ab illo tanti excessus ultio exigenda est; iterato tibi expressius quoque precipimus, ut statim, ultra id, exigas ab eo mille libras currentis nunc in partibus ipsis monete; compulsurus eum proinde per bona ejus quelibet, etiam per personam, si videris expedire; exactasque dicto priori similiter persolvas, in opere prefate ecclesie convertendas. Non ignorans quod *ecce scribimus ipsi priori, ut incontinenti te adeat, totam eam pecuniam a te integraliter recepturus, et rescripturus nobis per litteras suas qualiter fueris presens mandatum nostrum executus. Et nisi effective illud compleveris, mandabimus, prout jam concepimus, totam pecuniam ipsam facere de terra et bonis tuis citra existentibus exigi et haberi. Propter quod, in te est eligere, ac facere, utrum malis eam de tua proprio solvere, an a predicto thesaurario exigere, dictoque priori, ut premittitur, exhibere.* Datum Averse, die XX^a^ septembris, IIe indictionis.

Ibid. Reg. B. 265. fol. 153.

VIII.

CINQUIÈME DIPLÔME DE CHARLES II,

Modifiant le précédent, et imposant au Trésorier une amende de deux cents livres, au profit de l'église de Saint-Maximin.— 12 décembre 1303.

KAROLUS, Dei gratia Jerusalem et Sicilie rex, Riccardo de

Gambatesa, militi, comitatuum Provincie et Forcalquerii Senescallo, etc. OLIM TIBI per alias nostras litteras scripsisse recolimus per hec verba : — Karolus... Novissime ad notitiam nostram... *(V. ci-dessus, n° VII).*—Nuperrime autem, certa nos commovente causa, voluntatem circa premissa mutantes, fidelitati tue precipimus, ut si nondum predictas litteras nostras executus es, bene quidem; si vero jam executus esses, vel cepisses exequi, totam executionem ipsam, seu id totum quod de illa factum est, quantocius, litteris ipsis nequaquam obstantibus, studeas in irritum revocare. Verumtamen, cum nolimus prememoratum Bonnacursum, si quomodolibet de premissis culpabilis est, impune de culpa ipsa transire, providimus, et volumus, ac fidelitati tue precipiendo mandamus, ut si commisit in predictis solutionibus, quas facere habuit, contumaciam, vel difficultatem, ant defalcationem aliquam, *et si propterea prosecutio predicti operis dilata sit, vel aliquem passa defectum, exigas statim ab eo, in penam contumacie et culpe hujusmodi, libras tantum ducentas; et exactas solvas priori predicto, convertendas in opere ecclesie supradicte;* ipsum proinde omni cohertione quam expedire videris compulsurus. Cauturus etiam ut cum de hoc tue specialiter conscientie ac fidei incumbamus, ita in exquirendo exinde ipsam veritatem te habeas, quod non desit quin scias illam; quin etiam, ubi pretactus casus dederit, sequatur pene exactio supradicte. Datum Averse, XII° decembris, IIe indictionis.

Ibid. Reg. B. 265. fol. 153.

IX.

PREMIER DIPLÔME DU ROI ROBERT,

Réglant que les 250 livres annuelles assignées au couvent de Saint-Maximin, lui seraient payées par le clavaire de ladite ville.— 21 février 1320.

ROBERTUS, Dei gratia, rex Jherusalem et Sicilie, ducatus

Apulie et principatus Capue, Provincie et Forcalquerii ac Pedemontis comes, Senescallis ipsorum comitatuum Provincie et Forcalquerii, et clavariis Sancti Maximini, presenti et futuris, fidelibus suis, gratiam suam et bonam voluntatem. Dudum religiosis conventus Fratrum Predicatorum in Sancto Maximino litteras nostras concessimus continèntie infrascripte : — Robertus... Per litteras... (*V. Faillon, to. II, num. 125*). — Noviter autem, pro parte prioris et conventus loci predicti, fuit nobis humiliter supplicatum, ut cum predicte promissionis solutio, juxta prescriptarum litterarum tenorem, per predictos nostros Provincie et Forcalquerii thesaurarios fuerit, ut predicitur, facienda, et jamdiu thesaurarii in comitatibus ipsis per nos non fuerint ordinati, ac predicta peccunia sit eis continue opportuna, mandare de provisione ipsa satisfieri eis per clavarios dicte terre Sancti Maximini benignius dignaremur. Nos igitur, ne dicti prior et conventus in hiis propterea defectum aliquem patiantur, ipsorum supplicationibus benignius duximus annuendum. Resignatis igitur in curia vestra predictis originalibus litteris, quarum tenor prescribitur, quas jussimus lacerari, volumus et fidelitati vestre, presentium tenore, mandamus quatinus dictis priori et conventui, vel ipsorum pro eis procuratori seu nuntio, pro vita et sustentatione ipsorum, prefatas libras ducentas quinquaginta dicte monete, tu scilicet presens clavarie, pro preterito tempore quo satisfaciendum est eis exinde usque nunc, de quo per dictos thesaurarios nostros certificari procures, et deinde, tam tu quam vos alii successive futuri clavarii, officii vestri temporibus, anno quolibet ex nunc in antea numerando, imperpetuum, de peccunia jurium et reddituum prefate clavarie Sancti Maximini, et, si peccunia ipsa non sufficeret, id quod defuerit, de aliis juribus, redditibus et proventibus curie nostre dicto loco vicinis, que per manus vestras fuerint, sine difficultate qualibet, solvere et exhibere curetis; et recipiatis de hiis que solveritis, suis vicibus, appodixas. Vosque Senescalli, tam presens quam successive futuri, non impediatis in aliquo satisfactionem eamdem ; immo, compellatis ad id, si et prout opus fuerit, clavarios supradictos.

Ordinatione, seu mandato aliquo huic forte contrario, nostro vel alterius cujuscumque, et eo nostro precipue de tota peccunia dicte clavarie officii nostris in dictis comitatibus Provincie et Forcalquerii thesaurariis assignanda, executioni presentium non obstante. Presentes autem litteras, post opportunam inspectionem earum, ipsarum transumpto per vos in publica forma recepto, presentanti remanere volumus, pro cautela, efficaciter in antea valituras. Datum Avinione, in camera nostra, anno domini M.CCC.XX., die XXI. februarii, tertie indictionis, regnorum nostrorum anno XI°.

Arch. dép. des B. du Rh. B. 667. Copie de l'année 1429.

X.

DEUXIÈME DIPLÔME DU ROI ROBERT,

Défendant de recevoir à Saint-Maximin des religieux qui ne seraient pas d'une vie exemplaire, d'un âge mûr, et d'une parfaite régularité.— 6 avril 1321.

Robertus, Dei gratia, rex Jherusalem et Sicilie, ducatus Apulie et principatus Capue, Provincie et Forcalquerii ac Pedemontis comes, religiosis et honestis viris priori et conventui fratrum monasterii nostri sancte Marie Magdalene de Sancto Maximino, ordinis Predicatorum, dilectis et devotis nostris, gratiam et bonam voluntatem. Ad ordinem vestrum predictum habentes specialem benignitatis affectum, *eo ad prefatum monasterium vestrum, quod opus est manuum clare memorie reverendi domini patris nostri Jherusalem et Sicilie regis illustris, nostrarumve, efficacius ipsius nostre benignitatis trahitur plenitudo quo ferventius ad beatam Mariam Magdalenam, et alios sanctos quorum reliquie ibidem requiescunt, nostre devotionis provehitur spiritus, ac tota spes in ipsorum beate et sanctorum suffragiis conquiescit.* Hujus itaque devotionis instinctu commoniti, ipsum monasterium

cupientes de sui status tranquillitate letari, et insueta quavis conditione minime perturbari, volumus, et vestre religiositati mandamus expresse, ut consuetudinem recipiendi fratres in ipso monasterio, a fundatione ipsius usque nunc productam, quam ex voluntate prefati domini patris nostri processisse verisimiliter opinamur, cui nostri desiderii semper extitit nostram in omnibus conformare, tenaciter observantes, neminem in fratrem ejusdem monasterii, nisi ei bone conversationis et vite, mature etatis, vel religiositatis honeste merita suffragentur, sub pena gratie nostre, aliqualiter admittatis; ut, sicuti affectamus, maturorum religiosorum claustralis conversatio in monasterio ipso vigeat et clarescat. Datum Avinione, anno domini M.CCC.XXI., die VI. aprilis, IIII[e] indictionis, regnorum nostrorum anno XII°.

Ibid. B. 8. Reg. *Lividi*, fol. 32.

XI.

PREMIER DIPLÔME DE LA REINE JEANNE,

Révoquant une donation faite au préjudice des religieux de Saint-Maximin.— 8 avril 1348.

JOHANNA, Dei gratia, regina Jerusalem et Sicilie, ducatus Apulie et principatus Capue, Provincie et Forcalquerii ac Pedemontis comitissa, clavariis curie nostre Sancti Maximini, presenti scilicet et futuris, fidelibus suis, gratiam et bonam voluntatem. PRO PARTE PRIORIS et conventus fratrum predicatorum ecclesie beate Marie Magdalene de loco predicto, habuit supplex expositio nobis facta, quod olim clare memorie *dominus Carolus secundus, Jerusalem et Sicilie rex illustris, ecclesie predicte, ob honorem ejusdem beatissime Marie Magdalene, per quam suorum vota precaminum extitit in suis agendis omnibus fine laudabili assecutus, habens specialis devotionis affectum,* pro vita et sustentatione fratrum conventus predicti, de ducentis quinquaginta

libris coronatorum, percipiendis per eos, annis singulis per imperpetuum, super proventibus, juribus et redditibus bajulie seu clavarie Sancti Maximini predicti, eisdem pia largitione providit. Cujus provisionis perceptionem inclite recordationis rex Robertus, avus noster et dominus reverendus, patris inherendo vestigiis, et revolvens fervore animi quanta magnalia ipsius beatissime virtus ingens operata extiterit, tam in suum dominum genitorem, quam in eum, quem mundi machina predicabat regalis solii dignitate excelsum, per suas patentes litteras predictis fratribus et conventui gratiosius confirmavit. Qui fratres et conventus annis quinquaginta duobus, et pluribus, elemosinaria perceptione hujusmodi liberaliter fuerunt, sine quavis contradictione, potiti. Nuper autem nos ad proavitam concessionem predictam, et confirmationem avitam subsecutam, digna memoria futuris temporibus recensendas, advertentiam non habentes, quosdam redditus atque jura, qui per clavarios nostros inibi procurantur, et de quibus dicte ducente quinquaginta libre dictis fratribus et conventui, annis singulis, pro vita et sustentatione, sicut pretangitur, eorumdem temporum decursis curriculis satisfieri consuevit, Amelio Gassoli, fideli nostro, suorum servitiorum obtentu, litterarum nostrarum vigore, percipienda concessimus, in fratrum et conventus predictorum grande prejudicium et importabile detrimentum. Ob quod fuit majestati nostre humili supplicatione subjunctum, ut fratribus et conventui supradictis, *in reverentiam predicte beatissime Magdalene, cujus corpus in dicta requiescit ecclesia, et cui, ut animabus eorumdem progenitorum nostrorum misereatur Altissimus, horis continuis per orationum suffragia famulantur,* providere de oportuno remedio misericorditer dignaremur. Nos igitur, que venerabili ecclesie memorate, ex speciali devotione afficimur, et illi ad impartienda grata subsidia mentis piis affectibus excitamur, nolentes fratres ipsos et conventum proavitis et avitis gratiis aliqua ratione excludere, set eos illis ab inde continuis perceptionibus congaudere; volumus, et vobis, de certa nostra scientia, presentium tenore, mandamus expresse, quatenus, non obstantibus quibuscumque exequtoriis

litteris ad petitionem dicti Amelii inde factis, vel exequtione, si qua forsan extiterit subsequta, dictam largitionem concessam et prestari solitam, usque ad quantitatem eandem, eidem conventui, successivis temporibus, et ut consuetum est hactenus, absque impedimento aliquo, vestrorum officiorum temporibus, assignetis, et de hiis que assignaveritis inde recipiatis ydoneam apodixam. Presentibus, ipsarum tenore penes vos, ut expediens fuerit, in publica forma retento, pro cautela, remanentibus presentanti, efficaciter in anthea valituris. Datum Avinione, in camera nostra, anno domini M.CCC.XLVIII., die VIII[a] aprilis, prime indictionis, regnorum nostrorum anno VI°.

Arch. dép. des B. du Rh. B. 3. Reg. *Crucis et potentie*, fol. 24.

XII.

DEUXIÈME DIPLÔME DE LA REINE JEANNE,

Agréant l'élection de Guillaume de Saint-Blaise au prieuré de Saint-Maximin.— 21 janvier 1372.

JOHANNA, Dei gratia, regina Jerusalem et Sicilie, ducatus Apulie et principatus Capue, Provincie et Forcalquerii, ac Pedimontis comitissa, venerabili et religioso viro *fratri Guillelmo de Sancto Blasio, de Nicia, ordinis Predicatorum, sacre theologie magistro,* fideli devotoque oratori nostro, gratiam et bonam voluntatem. VACANTE NOVITER, in dictis comitatibus nostris Provincie et Forcalquerii, *prioratu regalis monasterii seu conventus nostri Sancti Maximini*, dyocesis Aquensis, de ordine Predicatorum, sub famulatu et obsequio beate Marie Magdalene specialiter deputato, *per promotionem venerabilis et religiosi viri fratris Rochasalve de Soleriis, consiliarii, cappellani, et familiaris nostri, ad majorem ecclesiam Niciensem;* nos, ad laudabile et fide dignum testimonium quamplurium religiosorum venerabilium, et nobilium aliorum nostrorum fidelium, comitatuum eorumdem,

et specialiter viri magnifici Nicolai Spinelli de Juvenacio, legum doctoris, et ipsorum comitatuum Senescalli, ac Cancellarii regni nostri Sicilie, necnon vicarii et conventus monasterii prelibati, fidelium et devotorum oratorum nostrorum, Serenitati nostre perhibitum, per eorum litteras nostro conspectui reverenter et humiliter presentatas, de probitate et honestate, scientia, sufficientia, moribus et virtute tuis; nec minus ad devote supplicationis instantiam per te nobis propterea interjecte; Nominationem seu electionem de te factam ad hujusmodi prioratus officium dicti monasterii seu conventus Sancti Maximini, ac illius regimen, nomine et pro parte nostra, ad quos tanquam propagatam in personam nostram ex fundatione et dotatione dicti monasterii facta per progenitores nostros, ex specialibus privilegiis noscitur pertinere, tenore presentium approbantes; te in eodem prioratus officio atque regimine, secundum quod per clare memorie progenitores nostros illustres fieri, suis vicibus, consuevit; de certa nostra scientia, et speciali gratia, nostro scilicet beneplacito perdurante, harum serie, fiducialiter confirmamus. Sperantes et etiam intendentes, quod taliter in hujusmodi prioratus officii atque regiminis exercitio te gerere debeas, quod dictum monasterium, in spiritualibus et temporalibus, tui regiminis tempore, incrementa sentiet, et opus tuum, cum multe fame preconio, se in odorem pocioris commendacionis diffundat. Datum Neapoli, per virum magnificum Ligorium Zurulum de Neapoli, militem, logothetam et prothonotarium regni Sicilie, collateralem, consiliarium, et fidelem nostrum dilectum, anno domini M°CCC°LXXII°, die XXI° januarii, X° indictionis, regnorum nostrorum anno XXX°.— A. de Palmerio.

Arch du couv. de S. Max. Arm. 1. Sac. 4. Orig.

XIII.

TROISIÈME DIPLÔME DE LA REINE JEANNE,

Portant que le consentement royal pour le changement du prieur de Saint-Maximin devra, sous peine de nullité, être donné par lettres patentes, scellées du grand sceau.—21 août 1374.

JOHANNA, Dei gratia, regina Jherusalem et Sicilie, ducatus Apulie et principatus Capue, Provincie et Forcalquerii ac Pedemontis comitissa. TENORE PRESENTIUM notum facimus universis ad quos spectat et spectare poterit, earum seriem inspecturis, tam presentibus quam futuris, quod illorum preces libenter admittimus quorum votum rationi congruit, et a legalibus non discrepat institutis. Sicut continet noviter reverens expositio facta nobis, pro parte procuratoris et fratrum conventus nostri regalis monasterii sancte Marie Magdalene, ville Sancti Maximini, de comitatu nostro Provincie, ordinis Fratrum Predicatorum, devotorum oratorum nostrorum, quod, dum de consensu et beneplacito majestatis nostre, pro tempore positus, ordinatus et confirmatus est prior in monasterio seu loco predicto, quod de nostri proprii jure patronatus existit, non potest idem prior, neque debet, juxta indulta apostolica que clare memorie dominis progenitoribus nostris illustribus, atque nobis, concessa sunt in hac parte, a dicti prioratus administratione aliquathenus amoveri, absque ejusdem nostre magestatis beneplacito et assensu; qui quidem assensus per litteras nostras clausas, et secreto nostro anullo sigillatas, interdum a serenitate nostra, ex inadvertentia quadam, et fortasse absque rationabili causa, ad falsi suggestionem, possent de facili obtineri, in detrimentum dicti monasterii, prefatique prioris prejudicium et gravamen; cum tamen dicti prioris amotio, in quantumcumque pro utilitate et expedientia ipsius monasterii forsan procederet, absque tamen informatione plenaria habenda per nos de causa amotionis ipsius,

fieri aliquathenus non debbet. Super quo nostre consulte provisionis remedio suppliciter implorato, nos attendentes quod, cum electioni et ordinationi de ipso priore factis, pro tempore, nostra magestas assensum prestitit, assensum ipsum et beneplacitum per patentes litteras magno pendenti sigillo munitas, et aliis opportunis solennitatibus, juxta solitum morem nostre curie, expressius declaravit, quod etiam in amotione hujusmodi prioris esse servandum conveniens fore cernimus; cum nil sit tam naturale quam unumquodque dissolvi eo vinculo quo ligatur, et ea ad destruendum requirantur de jure que ad construendum opportuna esse censentur, quodque corporalia facilius destruantur quam etiam construantur, spiritualia vero facilius construantur quam destruantur. Propterea, cum consulta deliberatione nostri consilii, de ipsa certa scientia, harum serie providemus quod, *ex nunc in antea, quevis littere faciende per nos, ad cujusvis persone instantiam, super hujusmodi consensu et beneplacito nostro in amovendo et surrogando priore jam dicto, nisi facte appareant in patenti pagina, sub sigillo nostro pendenti, et subscriptione manus proprie logothete et prothonotarii, seu viceprothonotarii regii nostri, ac locum tenentis ejus*, sub qua patenti forma supponimus illas..., nullathenus admittantur, vel quomodolibet audiantur; sed *censeantur et habeantur invalide,* tanquam procedentes contra nostre mentis propositum, ex importunitate petentium forsitan, seu inadvertentia quadam... Datum in castro maris de Stabia..., anno domini 1374to, die XXI^{a} augusti, XIIe indictionis, regnorum nostrorum anno XXXII°.

Ibid. B. 29. Reg. *Sagittarius*, fol. 302.

XIV.

ORDONNANCE DU SÉNÉCHAL DE PROVENCE,

Contre les confréries qui célébraient leurs fêtes avec un grand fracas près du couvent de Saint-Maximin, au détriment des religieux.— 5 mai 1408.

Petrus Dacigne, miles, baronie Grimaudi et vallis Frayneti dominus, regius comitatuum Provincie et Forcalquerii Senescallus, officialibus curie regie ville Sancti Maximini ad quos spectat, presentibus et futuris, et cuilibet, vel loca tenentibus ipsorum, salutem et dilectionem sinceram. Pro parte prioris atque fratrum conventus Predicatorum dicte ville, fuit nobis expositum reverenter quod *quamplures et diverse persone dicte ville Sancti Maximini, que annuatim in dicta villa plures confratrias sunt facere consuete,* potius ex quodam abusu illicito quam ex potestate, auctoritate, seu permissione aliqua, *solemnitates aut festivitates dictarum confratriarum, tam in claustro quam in reffectorio ecclesie dicti conventus, cum tumultu maximo tam vociferantium quam instrumentorum, non sine impedimento divini officii, auctoritate propria faciunt, et de facto carnes et epulas in cimenterio, ante capellas dicte ecclesie, coquinando, et decoqui faciendo, et demum decoctas in illis tenendo, et distribuendo cuicunque, et illas in locis eisdem comedendo; licet, vetantibus statutis dicti conventus, carnes in eodem nunquam teneri audeant, nec comedi.* Quod est contra omne jus et debitum rationis, cum dictus conventus ab omnibus oppressionibus et honeribus sit exemptus; et hujusmodi talia in locis predictis Christi servitio deputatis, et potissime suorum sanctorum atque sanctarum reliquiis decoratis, debeant minime exerceri. Super quo, nostre provisionis remedio per ipsos exponentes suppliciter postulato, nos circa devotionem religionis hujusmodi venerande ecclesie manutenendam, et abusus illicitos in illius ceptis solitos, ut premittitur, fieri, extirpandos, ne ex talium geminatione possit

turbari continuata religiosorum devotio, sed per illorum extirpationem necessariam continuari et augeri, merito intendentes, ipsorum exponentium petitionibus, tanquam justis et rationi consonis, benigniter annuentes; volumus et vobis, harum serie, cum deliberatione regii nobis assistentis consilii, regia auctoritate qua fungimur, districte precipiendo mandamus quatenus, tam vos presentes quam vos alii successive futuri officiales prefati, singulis annis, officiorum vestrorum temporibus, predicta illicita infra ceptum ecclesie, seu illius limites, de cetero fieri vetetis, et prohibeatis voce preconia, sub penis formidabilibus, vestro infligendis arbitrio, et a contra hujusmodi prohibitionem veniente, seu venientibus, ut justum fuerit extorquendis. Presentibus opportune inspectis, et debite excequtis, remanentibus presentanti. Datum Aquis, per egregium et nobilem virum dominum Johannem de Genoardis de Luca, legum doctorem, magne regie curie magistrum rationalem, consiliarium regium, mandato nostro locum tenentem majoris judicis comitatuum predictorum, anno domini M°IIII^cVIII°, die v^a mensis madii, prime indictionis.

Ibid. Reg. B. 1384, fol. 24.

XV.

DIPLÔME DU ROI LOUIS II,

Approuvant la donation de Roquebrune, faite au couvent de Saint-Maximin par Geofroy le Meingre, dit le petit Boucicaut.— 10 février 1413.

LUDOVICUS SECUNDUS, Dei gratia, rex Jerusalem et Sicilie, ducatus Apulie, dux Andegavie, comitatuum Provincie et Forcalquerii, Cenomanie ac Pedemontis comes, universis presentes litteras inspecturis, salutem et dilectionem sinceram. CONSUEVIT PRINCIPIS CLEMENTIA ecclesias sue ditioni submissas beneficiis et gratiis temporalium augmentare, et aliquantulum rigoris tra-

mitem avertere in diversis, ut ad Altissimo famulandum ferventius animentur, et astringantur pro susceptis preces fundere suppliciores. *Sane nostre majestati, pro parte prioris et conventus ecclesie nostre Sancti Maximini,* ordinis Predicatorum, cujus patronus dicimur, *extitit nudius expositum, quod spectabilis Gaufridus le Mengre, vulgariter dictus le petit Boucicaut,* in sui et suorum remissionem peccaminum et redemptionem animarum, *dominium, jus, partem portionis, proventus, census, redditus et possessiones, hominesque et emphiteotas, quos,* temporibus retrolapsis, percipiebat et *habebat in castro de Rocabruna,* prope Forojulium, ejusque territorio sive districtu, et singula que ad ipsius castri causam eidem pertinebant, et poterant videri pertinere, *eisdem priori et conventui, pro se et suis imperpetuum, dedit,* concessit et donavit, cum in talibus fieri consuetis solemnitatibus, prout in instrumento ipsius donationis plenius comperitur contineri; devota supplicatione subsecuta postulantes, ut ejusdem nostre majestatis presidio,... dictam factam donationem ob Dei (honorem), beateque ejus genitricis, ac ortodoxe Marie Magdalene, confirmare et ratifficare misericorditer dignaremur. (Nos eorum) audita supplicatione, ad dictam ecclesiam gerentes singularem devotionis (affectum), eamdem donationem dominii, juris, partis portionis, proventuum, (censuum), reddituum, possessionum, hominum et emphiteotarum, sicut premittitur, per dictum Gaufridum factam, cum nostri nobis assistentis consilii deliberatione, harum serie, de certa nostra scientia, proprii motus instinctu, ratifficamus, emologamus et approbamus, etiamsi prescriptione, aut nimia retardatione prestationis homagii, aut recognitionis, tentionis et occupationis jurium predictorum, dicantur aut possint dici jura ipsa quomodolibet ad nostram curiam confiscata fuisse et deventa, jure majoris dominii quod in dicto castro habemus, ad causam nostrorum comitatuum Provincie et Forcalquerii, in quibus consistit; quas prescriptionem, nimiam retardationem prestationis homagii et recognitionis, ratifficationi, emologationi et approbationi predictis, si que fuerint, nolumus in aliquo derogare. Volentes, et earumdem

presentium tenore dictis priori et conventui concedentes, quod dictos dominium, jus, partem, census, redditus, possessiones, hominesque et emphiteotas, possint in omnibus et valeant perpetuo habere, tenere et possidere, cum servitii seu oneris soliti prestatione, si quod sit, libere, immune, integraliter et ad plenum, modo, forma, et quemadmodum ipse Gaufridus donator, ante hujusmodi factam donationem, tenuit et possedit, tenereque debebat largius et habere, vendereque, commutare, permutare et alienare, prout eisdem melius ad utilitatem ipsius ecclesie, videbitur expedire. Mandantes propterea... Datum in castro nostro Andegavensi, per egregium militem Johannem Louveti, licenciatum in legibus, dominum de Aygaleriis, curie camere rationum civitatis Aquensis presidentem et judicem, consiliarium et fidelem nostrum dilectum, mandato nostro locum tenentem majoris judicis comitatuum predictorum Provincie et Forcalquerii, die X^a mensis febroarii, sexte indictionis, anno domini M.IIII^cXII., regnorum vero nostrorum anno XXX°.

Ibid. **B. 9. Reg. *Armorum*, fol. 303.**

XVI.

PREMIER DIPLÔME DE LA REINE YOLANDE,

Confirmant un accord intervenu entre les religieux de Saint-Maximin et la Commune.— 1er octobre 1417.

Yolans, Dei gratia, regina Jerusalem et Sicilie, ducissa Andegavie, comitatuum Provincie et Forcalquerii, Cenomanie ac Pedemontis comitissa, bajula, tutrix et administratrix carissimi primogeniti nostri Ludovici, heredis universalis reverende memorie metuendissimi domini mei, necnon ceterorum liberorum nostrorum etate minorum, ac patrimoniorum et terrarum eorumdem, Senescallo, Judici majori, ceterisque officialibus, tam majoribus quam minoribus, necnon Thesaurario nostro dictorum

comitatuum nostrorum Provincie et Forcalquerii, et cuilibet, vel loca tenentibus ipsorum, prout ad eum spectaverit, fidelibus nostris dilectis, gratiam et bonam voluntatem. RETROPRINCIPUM NOSTRORUM PROGENITORUM laudanda vestigia, cum se casus exhibet, promptis imitamur affectibus, sed illa per que cultus reverentie divine status pacificus prospicitur, grata mentis affectione prosequimur, et ad gratias subditis propterea necessarias, cum postulantur, devotius inclinamur. Sane super jurgiis, rancoribus, odiis, debatis et questionibus pluribus que dudum inter Georgium Belli, tunc bajulum et capitaneum, sindicos, consilium ac homines, ex una, et fratres conventus predicatorum monasterii nostri ecclesie beate Marie Magdalene, ville nostre Sancti Maximini, ex altera partibus, exorta, et per actus subsequentes, sapientes invasiones et injurias, et alia gravamina hinc inde, ut ponebatur, acta, denuntiationes et inquisitiones plures contra dictos tunc bajulum, universitatem et homines, in nostra tunc parlamenti curia facte, formate, ac informationes recepte, et alias civiliter inter partes ipsas litigia mota fuerunt, propter prejudicium suorum privilegiorum et libertatum quod asserebatur ; et aliter nudius, pro bono pacis, et pacifico ac tranquillo statu ipsarum partium, inter eas transactione, concordia et conventione firmatis, ut continetur in quibusdam instrumentis publicis, sumptis, scriptis et signatis, ut in eis legitur, manu et signo Petri Fresquerie, notarii publici ville ipsius, coram nobis in nostro consilio exhibitis et ostensis, quibus inter alia cavetur expresse quod prior ipsius ecclesie, seu *religiosus et venerabilis frater Garcias de Falcibus, ejusdem ordinis, sedis apostolice penitentiarius, capellanus honoris, et familiaris noster devotus*, promisit facere cum effectu quod nostra majestas, de cujus spe et fiducia summe confidit, omnes processus criminales et inquisitiones formatos et factos contra ipsos tunc bajulum et capitaneum, universitatem et homines ejusdem ville, necnon crimina, delicta, et penas, si que propterea per eos, aut eorum aliquem, in genere vel specie, commissa et commisse fuissent, et etiam latas que deberi possent nostre curie, aut per eam peti de quibuscumque

clamoribus et petitionibus, ex criminalibus vel civilibus processibus propterea factis, hinc inde, remittet et mandabit cancellari eisdem; quodque ipsi prior et fratres duobus privilegiis eis per predecessores nostre majestatis concessis non utentur spatio quadraginta annorum; ita, quod propterea non prejudicetur ipsis privilegiis, sed, eo lapso temporis spatio, privilegia ipsa firma remaneant, et in statu quo erant ante ipsa jurgia et debata; quorum privilegiorum effectus est quod homines deputati ad consilium dicte ville, in introytu eorum officii, et antequam illud exerceant, singulis vicibus, in manibus nostri Provincie senescalli, si tunc ibi adesse contingerit, alias, in ejus absentia, super majus altare dicte ecclesie, presente priore illius, jurare debeant privilegia et jura dicti conventus tanquam fiscalia regia manutenere, deffendere et observare; nec alias eorum officia valeant exercere; et quod consilium, seu homines ad illud deputati, nichil in eorum consilio concludere, seu terminare possint, sine presentia prioris dicte ecclesie, seu ejus locum tenentis. Nos, intuitu dicte gloriose beate Marie Magdalene, ad quam singularem devotionem gerimus, ac pacifici et tranquilli status prioris et fratrum, et fidelibus nostris ejusdem ville, dignis etiam eorum meritis et fidelitate omni gratia et favore; nec minus ad hoc ut, eisdem priore et fratribus a talibus rancoribus et jurgiis liberatis, sine turbatione, magis assidue, ut decet, intendere valeant ad divina; nichilominus, *ad humilis supplicationis instantiam ipsius devoti capellani et familiaris nostri fratris Garcie,* nobis propterea facte, *qui non parcens sue persone laboribus et periculis, ad nostre majestatis presentiam huc de nostra Provincie patria se transtulit*, et pro premissis obtinendis, cum omni devotione, affectione et instantia intercessit; ut ipsi prior et fratres spe et fiducia nostris in premissis habitis frustratos se non inveniant, sed per illorum assecurationem jocundos; eisdem igitur Georgio, tunc bajulo et capitaneo, ac universitati et hominibus Sancti Maximini, omnia crimina et delicta, penasque, culpas et offensas, si quas forsitan incurrerint, aut incurrisse dici vel argui possent, conjunctim vel divisim, necnon latas, si que de-

beantur aut peti contingat, pretextu premissorum, aut incidentium, descendentium, emergentium et connexorum, harum serie, de certa nostra scientia, liberalitate mera, innata nobis clementia et gratia speciali, in quantum nostra curia tangitur, vel quomodolibet tangi potest, plene remittimus et misericorditer indulgemus; ab eisdem nichilominus abstergentes omnem et quamcumque infamie maculam, in eos vel eorum aliquem propterea forsitan irrogatam, eosque restituentes ad actus quoscumque legitimos, honores et officia, sic quod de cetero ad illos se inveniant habiles et capaces. Quantum vero ad promissionem factam per ipsos priorem et fratres de non utendo prenarratis duobus privilegiis, tempore et modo predictis, quam promissionem prefatus frater Garcias a nobis confirmari suppliciter postulavit; cum autem presentialiter ignoremus an nostre curie sit prejudicium, velne, super quo dum in dicta nostra Provincie patria fuerimus, informari et deliberare intendamus super hoc, antequam talis confirmatio eodem tempore per nos fiat; ideo, ipsarum tenore presentium, interim pendentibus nostris informatione et deliberatione hujusmodi, et alias nostro durante beneplacito, promissionem ipsam ratificamus et approbamus, non intendentes propterea juri ipsorum nostrorum privilegiorum in aliquo derogare. Quare volumus... Datum in castro nostro Andegavensi, sub sigillo nostro, per Johannem de Podio, de mandato expresso regine, consiliarium nostrum, fidelem dilectum, mandato nostro locum tenentem majoris judicis comitatuum nostrorum Provincie et Forcalquerii predictorum, die prima mensis octobris, XIe indictionis, anno domini M° CCCC° XVII°.

Arch. dép. des B. du Rh. B. 10. Reg. *Crucis*, fol. 18 v°.

XVII.

DEUXIÈME DIPLÔME DE LA REINE YOLANDE,

Renouvelant la défense de recevoir à Saint-Maximin des religieux trop jeunes ou trop peu observants, avec ordre d'éloigner ceux qui pourraient s'y être introduits.— 6 octobre 1417.

YOLANS, Dei gratia, regina Jerusalem et Sicilie... Senescallo dictorum comitatuum nostrorum Provincie et Forcalquerii, collaterali, consiliario, et fideli nostro dilecto, gratiam et bonam voluntatem. RATIO NATURALIS exigit, et divina providentia ammonet ut persone honestate, devotione ac virtutibus adornate, aliisque (meritis) exemplares, locis sacris et devotis ac eorum regimini deputentur, ut per hoc actus sic deputandorum devotioni ipsorum locorum correspondeant, et in eis, ut decet, fides et devotio exemplariter augmententur. Sane, *dirigentes nostre considerationis intuitum ad venerabile monasterium nostrum regale sancte Marie Magdalene, ville nostre Sancti Maximini, ordinis Fratrum Predicatorum, et sacrum locum ejusdem ubi veneranda ipsius Sancte, diversorumque Sanctorum corpora, sub maxima devotione ac multis miraculis recondita requiescunt, ad quem de diversis mundi partibus infinitus gentium numerus confluit, causa devotionis loci ipsius,* in quo antiquitus maturorum virorum religiosorum, honestorum et devotorum, vigebat et clarebat claustralis conversatio, ut locus ipse sacer requirit, ac edocet laudanda ordinatio per serenissimum clare memorie dominum Robertum, ab olim dictorum regnorum regem et comitatuum comitem, in Avinione facta sub anno domini M°CCC°XXI°, die sexta aprilis, quarte indictionis, regnorum suorum anno duodecimo; et a certo temporis citra cursu, in conventu ejusdem monasterii, ut a multis percepimus, et satis nobis innotuit, religiosi etate juvenes, vagi, discoli, ac minus ut deceret ydoney et honesti, passim admitti consueverunt, ex quorum admissione,

honesti et devoti religiosi divinumque officium sepe turbantur, populi devotio, et ipsius loci visitatio minuitur, et ipse conventus in suffragiis, edificiis, ac suis juribus, patitur, nec inmerito, detrimentum. Nos igitur, ob devotionem quam, more laudabili predecessorum nostrorum, ad ipsam Sanctam suumque sacrum locum singulariter gerimus, in hoc cupientes debito et salubri remedio provideri; tibi de quo plurimum confidimus, harum tenore, de certa nostra scientia, committimus et mandamus quatenus ad ipsum nostrum monasterium regale, et conventum ejusdem, visis presentibus, et alias quotiens expedierit, et tibi videbitur, ac per sindicos ipsius ville fueris requisitus, te personaliter conferens, illud visitare, teque de regimine illius, ac conditione et moribus religiosorum qui nunc sunt, et pro tempore fuerint ibidem, cum omni cura et diligentia informare debeas et procures; et si quos fratres religiosos inibi repereris vite indebite, ac minus honestos et ydoneos, aut alias non admissos secundum laudabilem ordinationem prefati domini regis Roberti, eos, cujuscumque status, gradus, officii aut conditionis existant, excepto priore, per superiorem ipsorum, quem a te super hoc requiri volumus, a dicto monasterio et conventu alibi transferendos ejici, et de aliis honestis, devotis et maturis religiosis, juxta ordinationem pretactam, quam ad unguem servari jubemus, provideri, et alia circa premissa oportuna et necessaria fieri facias; ad hoc ut cesset ibidem turbatio, divinumque officium, ac devotio ipsorum religiosorum ipsi sacro loco correspondentium, visitatio et confluentium devotio, et ipse sacer locus in suffragiis, edifficiis et juribus suis, debite augeantur. Et ubi per superiorem ipsorum fratrum religiosorum, in providendo de aliis religiosis fratribus adesset morositas, palliatio seu deffectus, tu, auctoritate nostra, in hoc provideas, ut melius noveris expedire; vices nostras ad hoc tibi totaliter committentes. Presentes autem litteras, post earum oportunam exhibitionem, penes ipsos sindicos remanere volumus, pro cautela. Datum in castro nostro Andegavis, sub nostro proprio sigillo, per venerabilem Johannem de Podio, dominum de Roca Sancti Quintini, consiliarium et fidelem

nostrum dilectum..., anno domini M°CCCC°XVII°, die sexta mensis octobris, undecime indictionis.

Ibid. B. 10. Reg. *Crucis*, fol. 17 v°.

XVIII.

TROISIÈME DIPLÔME DE LA REINE YOLANDE,

Donnant à Garcias de Falcibus, vicaire de la Sainte-Baume, le greffe de Saint-Maximin et ses revenus, avec la faculté de déléguer un notaire pour tenir cet emploi.— 8 mars 1418.

YOLANS, Dei gratia, regina Jerusalem et Sicilie... venerabili religioso viro *fratri Garcie de Falcibus, vicario de Balma beate Marie Magdalene, cappellano et familiari, ac devoto oratori nostro*, gratiam et bonam voluntatem. PROPTER GRATA et accepta servitia per te majestati nostre diutius prestita fideliter et impensa, non sine persone tue periculis, fatigationibus et expensis, queve prestas ad presens, et speramus de bono in melius te laudabiliter prestiturum, ex quibus movemur apud te nostre retributionis gratiam merito vendicare, tibi in aliqualem premissorum retributionem, nec minus ex certis considerationibus et motivis animum nostrum ad pia et devota moventibus, officium notarie curie nostre ville Sancti Maximini, et ejus bajulie sive districtus, cum emolumentis, ac honoribus, et omnibus ad illud pertinentibus, ac consuetis et debitis, ad vitam tuam, harum serie, de certa nostra scientia et speciali gratia, damus et concedimus, ac de illo liberaliter providemus. Cum potestate in eodem officio statuendi et deputandi, loco et nomine tui, singulis annis, unum sufficientem et ydoneum notarium qui, prestitis in camera nostra fidejussoribus, juxta solitum, ipsum notarie officium, in observatione privilegiorum et libertatum dicte ville, regere et exercere habeat, sicut decet; de cujus deffectibus ipsi deputantes specialiter teneantur. Quem, seu quos, a te, ut premittitur, ad

premissa deputandos, ad ipsum officium recipi volumus, ac si per nos et nostras litteras essent annuatim deputati. Quacumque provisione alteri cuicumque facta, seu in antea facienda de dicto officio, sub quacumque forma et expressione verborum, in aliquo non obstante. Quare, volumus et tibi, ipsarum tenore presentium, de ipsa certa nostra scientia, expresse mandamus quatenus, ab inde in antea, singulis annis, per deputandum seu deputandos a te notarios ydoneos et sufficientes, ad honorem et fidelitatem nostram, bonumque statum et prosperum subditorum nostrorum dicte ville, et ejus bajulie sive districtus, cum observatione constitutionum seu statutorum editorum pro bono statu illorum fidelium, ac capitulorum spectantium ad ipsum notariatus officium, exercere facias fideliter, sicut inde ipsos notarios fidejubere ydonee volumus, et juramentum prestare penes rationales et archivarios camere nostre aquensis; quam fidejussionem per eos, vigore presentium, recipi jubemus et volumus, juxta formam solitam, ut premittitur, quod possint propterea merito commendari. Ecce namque universis et singulis bajulo et hominibus dicte ville, et ejus bajulie sive districtus, damus, earumdem tenore presentium, in mandatis, ut ipse bajulus, seu ejus locum tenens, qui nunc est, vel pro futuro tempore fuerit, ipsos per te deputandos notarios ad ipsum officium admittat et recipiat, ac in eodem, ut expedit, tractet favorabiliter, ac te emolumentis ipsius officii gaudere permittat, vita tua, ut premittitur, perdurante; ipsique homines, in his que ad dictum officium spectant et pertinent, ipsis a te deputandis notariis pareant, obediant efficaciter et intendant. In quorum fidem, presentes nostras litteras fieri, et nostro secreto sigillo jussimus communiri. Datum in castro nostro Andegavensi, per circumspectum virum Johannem Porcherii, canonicum Rothomagensem, consiliarium nostrum, fidelem dilectum, mandato nostro signantem in absentia majoris judicis dictorum comitatuum nostrorum, die VIII[a] mensis martii, anno domini M°IIII^cXVIII°, undecime indictionis.

***Ibid*. B. 10. Reg. *Crucis*, fol. 55.**

XIX.

QUATRIÈME DIPLÔME DE LA REINE YOLANDE,

Donnant son approbation à l'élection du B. André Abellon, prieur de Saint-Maximin.— 20 octobre 1419.

YOLANS etc. et Ludovicus rex antedictus, venerabili et religioso viro fratri Bartholomeo Texerii, in sacra pagina professori, priori provinciali provincie nostre Provincie, ordinis Fratrum Predicatorum, devoto oratori nostro, gratiam etc. INVITAT NOS INSTINCTUS NATURALIS et ratio persuadet, illorum honorem honeste perquirere et comoda procurare, quos morum honestas, vite virtus et scientia comprobant, ac devotionis et fidei sinceritas laudanda commendat. Sane, *vaccante prioratu venerabilis conventus ac regalis monasterii beate Marie Magdalene ville nostre Sancti Maximini, ordinis predicatorum, propter liberam et spontaneam resignationem de illo in manibus vestris per magistrum Jacobum Guichardi, olim priorem dicti conventus, factam, nostro super hoc prius implorato et obtento assensu,* ne diuturna vaccatione ipse conventus aut monasterium in suis juribus pateretur, *vicarius et fratres dicti conventus unanimiter et concorditer elegerunt, ad ipsius regimen et administrationem prioratus, venerabilem et religiosum virum fratrem* ANDREAM ABELLONI, *in sacra pagina magistrum, dicti ordinis et conventus,* ut de ejus electione constat litteris in consilio nostro per venerabilem et religiosum virum *fratrem Garciam de Falcibus, cappellanum nostrum dilectum,* productis et directis, nos in eisdem rogantes humiliter et requirentes, ut ipsi electioni de persona ipsius magistri Andree, ut predicitur, facte, assensum nostrum prebere, et illam, auctoritate apostolica, nobis in hac parte attributa, claudere et approbare, ac requirere et mandare per vos, eadem auctoritate apostolica, approbari et confirmari, benignius dignaremur. Et nos attendentes formam elec-

tionis ipsius, que, ut apparuit per litteras predictas et ut supra enarratas, canonice et concorditer de persona dicti magistri Andree facta fuit, nec minus personam ejusdem electi ad hec, ut fide digno plurimorum testimonio didicimus, condignam, propitiam, et tam in spiritualibus quam etiam temporalibus fore expertam; ideo ipsorum vicarii et fratrum conventus ipsius monasterii supplicationibus et requisitionibus inclinati, prefate electioni nostrum prebemus assensum, illam tanquam canonice factam de persona ydonea, sufficienti, et ad id propitia, presentium tenore, auctoritate predicta laudamus, et approbationis nostre munimine roboramus. Vos exhortantes, ipsarum serie presentium, ut ipsum magistrum Andream electum, et per nos, ut predicitur, laudatum et approbatum, ad ipsum prioratum, cum plena administratione, juxta formam hactenus consuetam et debitam, velitis confirmare et pariter approbare; de confirmatione et approbatione exinde fiendis sibi vestras litteras opportunas concedendo. Datum in civitate nostra Aquensi, per Pontium Cayssii, licenciatum etc., die vigesima octobris, XIII[e] indictionis, anno domini M.CCCC.XIX.—Per Reginam et Regem. P. de Rosseto.—Gratis, de mandato Regine.

Arch. dép. des B. du Rh. Reg. B. 271. fol. 88 v°.

XX.

CINQUIÈME DIPLÔME DE LA REINE YOLANDE,

Contenant la donation du bourdigue de Berre, sur lequel elle avait déjà assigné des fonds, pour l'entretien de cinq religieux à la Sainte-Baume.— 9 février 1423.

Yolans, Dei gratia, regina Jerusalhem et Sicilie..., ac domina baronie de Berra, vicario, bajulo, clavario, ac etiam officialibus ville ac baronie nostre de Berra, ad quos spectat, cuilibetque, ac ipsorum loca tenentibus, fidelibus nostris dilectis, gratiam et

bonam voluntatem. LICET, PRO SUSTENTATIONE quinque sacerdotum qui in celebri loco de Balma, ordinis Predicatorum, ad ordinationem nostram tenentur celebrare assidue, ac ibidem assiduis orationibus apud Deum intercedere pro felici statu et votiva directione agendorum nostrorum, et incliti primogeniti nostri predicti Ludovici tertii, ac pro salute animarum tam domini mei regis Ludovici secundi et viri reverendi, bone memorie, quam successorum nostrorum, *dederimus et assignaverimus devotis nostris priori conventus ville nostre de Sancto Maximino, et vicario dicti sacri loci de Balma, florenos auri ducentos*, habendos et percipiendos per manus nostri clavarii, videlicet, *centum super cursoriis sive pastergagiis certis territorii castri nostri de Ystrio, et alios florenos centum super burdigolo de Andrivo, dicte nostre ville de Berra*, confrontato ab una parte cum dicta villa, et a parte alia cum salinis, et cum stagno Martici, parte ex alias, sub certis modis et formis latius expressis, contentis et declaratis in patentibus litteris nostris inde confectis, concessis priori et vicario supradictis; attamen, quia prefati prior et vicarius, ut sumus veridice informati, a clavario dicte nostre baronie dictas summas pecuniarum habere, singulis annis, nequeunt sine difficultate dampnosa. Nos igitur, considerantes quod parum valet alicujus operis inceptio, nisi suum finem debitum subsequatur, et volentes providere propterea taliter quod fratres ipsi, ob deffectum solutionis dictorum centum florenorum assignatorum super dicto burdigulo, venire ad nostre magestatis presentiam de cetero non cogantur; *dictum burdigulum prout superius confrontatum, cum omnibus juribus et pertinentiis suis*, dictis priori et vicario, ac eorum in eisdem prioratus et vicariatus beneficiis successoribus quibuscumque, *pro media portione substentationis dictorum quinque sacerdotum*, de certa nostra scientia, et proprii motus instinctu, *imperpetuum damus, donamus et concedimus per presentes*, habendum, tenendum et possidendum per prefatos donatarios et concessionarios, prout habebatur et tenebatur per nostram magestatem, libere et sine onere aliquali. De quo quidem burdigulo, juribusque et pertinentiis illius, prefatos

priorem et vicarium, pro se et suis predictis successoribus, per traditionem presentium investimus, nosque pro nobis, heredibus et successoribus nostris, ac nostram curiam, de eodem burdigullo spoliantes omnino. Et ut ipsi prior et vicarius, presentes et futuri, juxta intentionis nostre propositum, ipsius burdigoli, jurium ac pertinentiarum, ac emolumentorum illius, per nos ut premittitur donatorum, de cetero fructum debitum consequantur, fidelitatibus vestris, serie presentium, de dicta scientia certa nostra, sub obtentu nostre gratie, mandamus, districte injungentes quathinus, forma presentium dilligenter attenta, et in singulis suis partibus efficaciter observata, prefatos priorem et vicarium, seu eorum procuratores, in possessionem dicti burdigoli, juriumque et pertinentiarum illius, statim habitis presentibus, immittatis et inducatis, immissosque et inductos manuteneatis et deffendatis, ac tractetis favorabiliter, sicut decet...... Datum Aquis, per egregium millitem et legum doctorem Jordanum Bricii, magne nostre curie magistrum rationalem, consiliarium et fidelem nostrum dilectum, majorem et secundarum appellationum judicem comitatuum predictorum, anno incarnationis domini M°CCCC°XXII°, die nona mensis februarii, prima indictione.

Arch. des B. du Rh. B. 37. Reg. *Stella*, fol. 43.
Arch. du couv de S. Max. Reg. A. fol. 95 v°.

XXI.

PREMIER DIPLÔME DU ROI LOUIS III,

Pour le paiement des 250 livres annuelles assignées au couvent de Saint-Maximin, avec ordre d'y affecter même les revenus des droits royaux qui auraient pu être aliénés.
— 26 janvier 1424.

LUDOVICUS TERTIUS, Dei gratia, rex Jerusalem et Sicilie, dux Andegavie, ac Provincie, Forcalquerii, Cenomanie ac Pedemon-

tis comes, nobilibus et egregiis viris magistris rationalibus magne nostre regie curie, ac rationalibus camere nostre rationum Aquis residentibus, tam presentibus quam futuris, gratiam et bonam voluntatem. ACCEDENS AD PRESENTIAM NOSTRAM, *religiosus ac venerabilis frater Garcias de Falcibus, prior conventus monasterii beate Magdalenes de castro nostro Sancti Maximini, ordinis Predicatorum,* nobis quasdam executorias litteras quondam magnifici viri Georgii, militis, olim comitatuum nostrorum Provincie et Forcalquerii senescalli, presentavit... ; devote postmodum, pro parte ipsius ac conventus supradicti, humiliter supplicando, ut ad honorem, laudem et gloriam omnipotentis Dei, omniumque civium supernorum, ac *specialiter gloriosissime Marie Magdalene, cujus sacratissimum corpus in eodem monasterio requiescit,* nos reginales litteras quarum tenor in prefatis executoriis continetur *(Mon. inéd. to. II. num. 159),* confirmantes, illam secundum formam, continentiam eorumdem et tenorem, executioni mandari facere dignaremur. Et insuper, cum nonnulla bona, res et jura ad curiam nostram regiam spectantia, et sub districtu clavariarum supradictarum, tam generaliter quam specialiter, pro hujusmodi ducentarum quinquaginta librarum coronatorum provisione, singulis annis per eosdem religiosos suscipienda, ex dispositione et ordinatione clare memorie predecessorum nostrorum obligata fuerint, et sint ab eadem nostra curia alienata et distracta, sive ad manus pervenerint alienas, ob quorum distractionem, exitus, jura, redditus, proventus et emolumenta clavariarum predictarum, ad annuam solutionem dictarum librarum ducentarum quinquaginta coronatorum eisdem priori et conventui exhibendam, minime sufficere seu suppetere reperiuntur, super hiis eidem monasterio de congruo remedio benigne providere dignaremur. Nos igitur nostrorum divorum predecessorum vestigiis inherentes, in hiis permaxime que divini cultus suspiciunt incrementum ; considerantes attente quod ex dispositione clare memorie quondam domini Caroli secundi, dictorum regnorum regis, ducentarum quinquaginta librarum coronatorum provisio de qua in prescriptis reginalibus

litteris fit mentio, eidem monasterio data fuerit et concessa pro sustentatione fratrum et conventus predictorum, ac consequenter recolende memorie domina Johanna prima, dictorum regnorum regina, dicti quondam domini Caroli secundi dispositionem insequendo, in exonerationem sue conscientie, provisionem predictam singulis annis, prout in supradictis litteris continetur, eidem monasterio solvi et assignari, modis contentis in litteris ipsis, disposuit, precepit, ordinavit et mandavit, exitus, redditus, juraque et proventus clavariarum predictarum expresse ad solutionem dicte pensionis, tam in genere quam in specie, submittendo. Volentes propterea ipsorum nostrorum predecessorum ordinationi et voluntati nos conformare, vobis, de certa nostra scientia, ac cum nostri nobis assistentis consilii deliberatione prehabita, precipiendo mandamus quatenus prefatam ducentarum quinquaginta librarum coronatorum provisionem, singulis annis, prefatis priori et conventui integraliter, ac modo et forma, et de illis pecuniis, ac de et super juribus, redditibus, proventibus, pasqueriis, bannis et emolumentis, de quibus in litteris premissis régi-nalibus fit mentio, ac secundum formam et tenorem ipsarum litterarum, exolvi faciatis, vos presentes et successive futuri magistri rationales, et rationales prenominati, et absque diminutione quacumque, sic et taliter quod, ob defectum solutionis hujusmodi, fratres ipsi a divino cultu cessare aut mendicare non cogantur. Et quia forsan, ut superius exponitur, introitus clavariarum predictarum, propter alienationes jurium et reddituum curie nostre sub clavariis ipsis sistentium, ad solutionem hujusmodi pensionis minime suppetere possunt; attento quod ea que divino cultui semel dedicata fuerunt non debent in alios usus applicari, quodque alienationes ipse fieri non potuerunt aut debuerunt, cum prejudicio monasterii supradicti... ; vobis etiam precipiendo, et, quantum opus est, committendo mandamus quatenus, prefatis introitibus dictarum clavariarum ad solutionem supradicte pensionis non suppetentibus, vos de fructibus jurium et reddituum, aut aliarum rerum, sicut prefertur, alienatorum et alienatarum, usque ad complementum pensionis ipsius, sup-

pleri faciatis, sic et taliter quod eidem monasterio de ipsa pensione, tam de introitibus dictarum clavariarum quam de fructibus hujusmodi jurium, reddituum et rerum, integre satisfiat, et sine diminutione quacumque... Datum Averse, per manus nostri Ludovici regis predicti, sub nostro majori sigillo pendenti, die XXVI° mensis januarii, secunde indictionis, anno domini M°CCCC°XXIIII°, regnorum nostrorum anno septimo. — Per Regem, in suo consilio. Perigaut.

Arch. des B. du Rh. B. 10. Reg. *Crucis.* fol. 161 v°.

XXII.

DEUXIÈME DIPLÔME DU ROI LOUIS III,

Accordant de nouveau au prieur de Saint-Maximin le droit d'assister au conseil de la ville, et imposant aux syndics le serment de respecter les droits du couvent. — 26 janvier 1424.

LUDOVICUS TERTIUS, Dei gratia, rex Jerusalem et Sicilie, dux Andegavie, comitatuum Provincie et Forcalquerii, Cenomanie ac Pedemontis comes, officialibus curie nostre, necnon sindicis et consiliariis ville nostre Sancti Maximini, presentibus et futuris, et cuilibet, vel loca tenentibus ipsorum, fidelibus nostris dilectis, gratiam et bonam voluntatem. EXHIBITE CORAM NOBIS *per religiosum et venerabilem virum fratrem Garsiam de Falcibus, priorem monasterii beate Marie Magdalenes, ville nostre Sancti Maximini, ordinis Predicatorum*, littere seriem et tenorem subsequentem continebant : — Ludovicus secundus... Sicut habuit... *(Mon. inéd. to. II. num. 174)* — Prefatus autem prior, tam suo quam predicti conventus nomine, nobis humiliter supplicavit ut, cum regie et paterne suprascripte littere nondum fuerint in totum executioni demandate, nos, juxta mentem et seriem earumdem, mandata similia prefatis officialibus, sindicis et consilio, iterare benigne dignaremur. *Nos autem paternis vestigiis*

inherentes, ad ipsius conventus monasterium, a nostris antecessoribus constructum et fundatum, gerentes, maxime ob reverentiam gloriosissime Magdalene, cujus reliquie in ipso monasterio requiescunt, devotionem singularem, volumus, ac vestrum cuilibet, prout ad eum pertinuerit, presentium tenore, deliberatione nostri consilii prehabita, precipimus et mandamus quatenus, tam vos presentes quam vos alii successive futuri officiales, sindici et consiliarii prefati, temporibus vestris, servata forma ipsorum privilegiorum et litterarum ipsorum predecessorum nostrorum, et nostrarum, ipsius conventus priorem, aut ejus locum tenentem, in consilio seu consiliis dicte ville, quotiens tenebitur, interesse sinatis et permittatis, nichilque sine sui seu ejus locum tenentis presentia concludatis, disponatis seu ordinetis, dictumque juramentum, ut supra predicitur, prestetis; et nullathenus eosdem priorem, seu conventum Sancti Maximini, ejusque singula membra, in genere vel in specie, per vos vel alium seu alios, directe vel indirecte, ad solvendum et contribuendum in talhiis, subsidiis, necnon revis, gabellis et impositionibus, impositis seu imponendis de cetero, ut premittitur, compellatis. Quin ymo, vos ipsi sindici et consiliarii, id quod ab eis, per vos aut a vobis deputatos, de predictis revis et impositionibus, a tempore introytus moderni prioris usque nunc, exegeritis, restituatis integraliter et perfecte; non presumentes de cetero ipsos priorem et conventum Sancti Maximini, ejusque singula membra, in premissis fatigare vel perturbare, aut fatigari vel perturbari permittere ab aliis, directe vel indirecte; ymo eosdem uti et gaudere ipsis privilegiis, libertatibus, franquesiis et immunitatibus permittatis, pacifice et quiete, quantum penam nostro vobis infligendam arbitrio cupitis non subire. Presentibus, post oportunam inspectionem et examinationem ipsarum, remanentibus presentanti. Datum in civitate Averse, per manus nostri Ludovici regis predicti, die XXVI[a] mensis januarii, secunde indictionis, anno domini M°CCCC°XXIIII°, regnorum vero nostrorum anno septimo. — Per Regem, in suo consilio. Perigaut.

Arch. des B. du Rh. B. 10. Reg. *Crucis*. fol. 166.

XXIII.

LETTRES DE CHARLES DU MAINE, GOUVERNEUR DE PROVENCE,

Approuvant les accords conclus entre le couvent de Saint-Maximin et le conseil de la ville, pour l'entretien et l'achèvement de l'église. — 25 janvier 1425.

KAROLUS, quondam regis Jherusalem et Sicilie filius, principisque illustrissimi et (domini) mei metuendissimi domini Ludovici tercii, Dei gracia, regnorum regis predictorum, ducatus Apulie, ducis Andegavie, comitatuum Provincie et Forcalquerii, Cenomanie ac Pedemontis comitis germanus, necnon et in dictis Provincie et Forcalquerii comitatibus generalis locumtenens, dilecto priori, presenti et futuro, ac venerabili conventui Predicatorum, necnon honorabilibus viris sindicis et consilio ville Sancti Maximini, salutem et sincerum affectum. SUPPLICATIONEM NOBIS noviter in regii nobiscum assistentis consilii, in Provincie suggestu, audiencia, porrectam pro parte vestrum recepimus, per omnia subscriptum tenorem continentem : — Illustri principi domino Karolo, fratri domini nostri regis Jherusalem et Sicilie, et in comitatibus Provincie et Forcalquerii ejusdem vicegerenti, humiliter et devote supplicatur pro parte venerabilis conventus Predicatorum ecclesie beate Marie Magdalene, patrone dicte excellencie, ac eciam pro parte honorabilis consilii dicte ville Sancti Maximini, quod *cum ecclesia dicti conventus minetur ruinam, et in futurum speretur dirui, nisi de salubri remedio provideatur, cum quasi per totam ecclesiam aqua pluvialis cadat, quod dolenter refertur ;* verum, cum pauci inveniantur qui vellint succurrere dicte ecclesie, et destructioni ejusdem, nisi de beneplacito vestre Excellentie ; eapropter, supplicatur, pro parte qua supra, quatinus, ob Dei reverenciam, et gloriose Marie Magdalene, fratres dicti conventus possint et valeant eligere duos valentes fratres dicti conventus, et consilium dicte ville alios duos

valentes et probos viros seculares, anno quolibet, qui providendo dicte ecclesie de salubri remedio, sint operarii ejusdem, secundum tenorem et formam certorum capitulorum, in pede presentis supplicationis annexatorum ; et super premissis concedere litteras opportunas. — Super qua quidem supplicatione et contentis in ea, habita ipsius regii nobiscum assistentis consilii deliberatione digesta, volumus et vobis, harum serie, regia qua in hac parte fungimur auctoritate, quatinus ad electionem fratrum et virorum proborum, et ad effectum presupplicatos, intendere et procedere possitis libere, et valeatis, usque ad plenissimum robur capitulorum presentibus nostris litteris, sub nostro contrasigillo alligatorum, indultum speciale concedimus. Datum in Tarascone, per magnificum virum dominum......., militem, atque juris utriusque professorem..., die XXV° mensis januarii, anno domini M°CCCC°XXIIII°.

Jhesus. Secuntur capitula facta et inita inter honorabile consilium ville Sancti Maximini, et fratres conventuales Fratrum Predicatorum ecclesie beate Marie Magdalene, dicte ville, de beneplacito tamen et consensu domini nostri Regis, seu ejus domini Vicegerentis, pro reficienda, reparanda, et de novo construenda, ac perficienda, Deo auxiliante, ecclesia dicte ville.— Et primo, volunt et consensiunt, videlicet homines dicti consilii et fratres dicti conventus, ut semper sit una unio et una voluntas, ac unum propositum, et de bene in melius ad invicem se gerant, videlicet dicti fratres et homines ejusdem ville, et ut appareat factum unius ad alium pertinere, et e contra ; et considerata bona affectione quam homines dicte ville habent erga ordinem beati Dominici, patroni predictorum ville et conventus, ac beate Marie Magdalene, quorum contemplacione conventus predictus fuit ibidem per re.me. dominum regem Karolum secundum constructus, et de novo edificatus ; et pariter, ob contemplacionem eorundem, certa privilegia ville prefate fuerunt eidem per retroprincipes concessa ; et conventus seu ecclesia predicta conservetur omnino ordini beati Dominici, et ibidem Predicatores, adimplendo voluntatem et ordinacionem dicti domini Karoli secundi, permaneant,

et stare debeant, prout actenus consueverunt a tempore fundacionis ejusdem ; et juxta posse, prefati dictum conventum et ecclesiam eidem ordini conservabunt et manutenebunt. — Item, volunt et consensiunt predicti consilium et fratres conventus, *attento quod ecclesia dicte gloriose Marie Magdalene est imperfecta, et quod factum est speratur dirui, nisi de salubri remedio provideatur;* eapropter, providendo de remedio opportuno. ., quod, anno quolibet, per consilium dicte ville eligantur et deputentur duo valentes viri, bone vite et condicionis, ac legales, ejusdem ville, qui sint operarii dicte ecclesie, una cum duobus fratribus dicti conventus a fratribus predictis eligendis, ad libitum eorum voluntatis, qui sint conventuales dicti conventus ; quorum unus ipsorum fratrum sit prior vel sacrista, alternatim tamen, sic quod prior uno anno, cum uno alio fratre, et alio anno sacrista cum uno alio fratre ; et quod predicti possint et valeant eligere locumtenentes, qui exercere valeant, dictis operariis absentibus, et pro opere non laborantibus. — Item, volunt et consensiunt predicti ut supra quod unus homo secularis bone vite et condicionis, eligendus per consilium dicte ville, peccunias et quascumque res que pro opera predicta, acquisite de legatis incertis per sanctissimum papam nostrum datis, usque ad mille florenos de camera, que recepte non fuerunt per dictum conventum de dictis legatis, et que in futurum acquirentur vel dabuntur per quascumque personas , recipiat, et illas distribuat et vendat pro dicta opera ad ordinacionem dictorum operariorum ; et de receptis et expositis bonam et debitam racionem reddat coram dominis de consilio predicto , tempore quo raciones dicte ville redduntur et audiuntur, necnon et duobus aliis fratribus pariter operariis dicti conventus, eligendis per dictos fratres; casu quo interesse vellint in racionibus predicte opere audiendis.— Item , volunt et consensiunt predicti ut supra quod dicti operarii , omnes simul, aut duo ex ipsis, unus ex fratribus, alius ex secularibus , distribuant omnes et quascumque peccunias, sive res predictas , *tam in dicta opera ecclesie , claustri dicti conventus , cori dicte ecclesie, textus dormitorii, quam in aliis quibuscunque , ad orna-*

mentum, comodum et decorem dicte ecclesie pertinentibus et expectantibus, sic et taliter quod fratres dicti conventus non se habeant intromittere, sed solum et dumtaxat operarii predicti, in premissis, ut est supra expressum.— Item, volunt et consensiunt predicti ut supra quod ipsi quatuor operarii aut tres ipsorum (eligant unum ex ipsis) quatuor, aut alium, qui racionem receptorum et recipiendorum, ac expositorum et exponendorum, fideliter scribat.— Item, volunt et consensiunt predicti ut supra quod dicti operarii eligendi, habeant jurare, in introitu eorum, antequam officium dicte opere excerceant, bene et legaliter eorum officium excercere, et in premissis dictas peccunias et res exponere, et nil sibi ipsis apparare, presente domino bajulo, vel ejus locum tenente, dicte ville, et consiliariis ejusdem, ac fratribus dicti conventus. — Item, predicti fratres ut supra, bonam voluntatem ostendentes, ad premissa adimplenda volunt et consensiunt quod redditus quos percipiunt in castro de Rocabruna, anno quolibet, exceptis infrascriptis, ab inde in antea et perpetuis temporibus, quamdiu opera durabit, et ordo premissus servabitur, percipiantur per dictos operarios, aut eligendum per eosdem, distribuendos in dicta opera. Qui premissi operarii, aut unus ipsorum per ipsos operarios eligendus, nomine dicti conventus, possint et valeant arrendare, vel ad manus ipsorum retinere, secundum quod eis visum fuerit, ad majus tamen comodum dicte opere, et alias disponere, prout eisdem videbitur faciendum; et de receptis, nomine conventus, quitanciam facere. Juridictione, mero et mixto imperio, quam et quod habet dictus conventus in dicto castro et ejus territorio, directo dominio, trezenis, et novis acapitis in futurum faciendis, penes ipsum conventum retentis, et comodum ex ipsis trezenis et novis acapitis provenientibus, absque contradictione aliqua. — Item, volunt et consensiunt dicti fratres ut supra quod medietas proventuum qui evenient dicte ecclesie, ratione palliorum, et ratione mense fratrum, de funeralibus, percipiatur per dictos operarios, seu alterum ipsorum, aut tesaurarium ejusdem opere, in dicta opera distribuenda, ut supra est ordinatum et expressum. —

Item, volunt et consensiunt predicti ut supra, quia predictus conventus sustentatur de bonis eidem datis, et que da(bu)ntur in futurum dicto conventui, que propter operam predictam dubitatur in futurum privari; quod sit in potestate dictorum operariorum secularium ut possint et valeant distribuere, seu per conventum expendere, de peccuniis dicte opere, si videant indigere dictum conventum. — In predictis omnibus et singulis, conjunctim et divisim, volunt et consensiunt dicti fratres, et consilium ejusdem ville, citra prejudicium privilegiorum et libertatum eorumdem, de quo sollempniter protestantur.

Arch. du couv. de S. Max. Arm. 1. Sac 17, n° 15. Orig.

XXIV.

VENTE DE TERRE A SAINT-MAXIMIN,

Ratifiée par le B. André Abellon, alors prieur dudit couvent pour la seconde fois. — 16 août 1426.

In nomine domini nostri Jhesu Christi. Amen. Anno incarnationis ejusdem M.CCCC.XXVI, die XVI. mensis augusti. Noverint universi et singuli, presentes pariterque futuri, quod honestus juvenis Guilhelmus Codoli, filius providi viri Bertrandi Codoli, de Sancto Maximino, cum auctoritate tamen, licencia et consensu dicti Bertrandi, patris sui, ibidem presentis, volentis et concencientis..., vendidit... provido viro Gaufrido Sancti Juercii, dicte ville Sancti Maximini, presenti, et pro se et suis ementi..., videlicet quandam terram trium panalatarum, vel circa..., sitam in territorio dicte ville, loco dicto ad planterium de Maruna. Salvo tamen et retento majori et directo dominio et senhoria honorabilis conventus beate Marie Magdalene et Fratrum Predicatorum dicte ville Sancti Maximini, sub cujus majori directo dominio et senhoria dicta terra dicitur teneri, ad servitium unius denarii coronatorum annuatim solvendi in festo na-

thalis Domini. Pretio videlicet et nomine pretii florenorum auri tresdecim cum dimidio, valoris pro quolibet solidorum sexdecim nunc currentis monete... Ad hoc presens *venerabilis et religiosus vir frater Andreas Abelloni, magister in sacra pagina,* PRIOR *dicti conventus ecclesie beate Marie Magdalene*, necnon frater Johannes Botini, procurator assertus, et procuratorio nomine dicti conventus, ambo simul certifficati per eorum presenciam de venditione dicte terre, et pretio ejusdem..., ipsam dictam terram, cum omnibus juribus et pertinentis suis, eidem Gaufrido, emptori, presenti et sic fieri requirenti, laudavit, approbavit, ratifficavit et confirmavit, per pollicem manus dextre, ut est moris, et investivit, ad predictum servitium unius denarii coronatorum, annis singulis solvendi in festo nathalis Domini... Actum in Santo Maximino, videlicet in patuo claustri, *ante operatorium ubi cor(us) construebatur dicti conventus*, presentibus *domino Johanne Presie, curato dicte ecclesie,* magistro Johanne Flamenqui, liguifabro, habitatore de Tholono, et Johanne Broquerii, dicte ville Sancti Maximini, testibus ad premissa vocatis et requisitis. Et me Johanne Silvi de Sancto Maximino, notario publico...

Arch. du couv. de S. Max. Charte non classée. Orig.

XXV.

PREMIER DIPLÔME DU ROI RENÉ,

Renouvelant les ordonnances de ses prédécesseurs en faveur du couvent de Saint-Maximin, et en prescrivant l'exacte observation.— 9 mars 1438.

RENATUS, Dei gratia Jherusalem et Sicilie rex, Andegavie, Barri et Lothoringie dux, comitatuum Provincie et Forcalquerii, Cenomanie ac Pedemontis comes, universis et singulis presentes litteras inspecturis, tam presentibus quam futuris. LICET GENE-

RALITER extendatur ad caritatis officium, in augmentandis ecclesie (bonis), terrenorum munifica munus principum, quantum tamen in nobis est et alta nobis permissione permittitur, in ejus obsequium cui retribuendi vicissitudo non sufficit, nedum actiones benificas libenter impendimus, verum collatas eis ab aliis gratias, pre caritatis instinctu, specialibus promptisque suffragiis confirmamus, cum proinde divine gratie mereantur principaliter premia, et consequenter humane laudis vendicemus in nobis preconia latiora. *Sane magestatis nostre presentiam noviter adhiens religiosus vir frater Adhemarius Fidelis, ordinis Predicatorum, sacre theologie professor, ac prior regalis nostri conventus beate Marie Magdalenes, ordinis Predicatorum ville nostre Sancti Maximini, orator noster devotus*, culmini nostro sua reverenti expositione proposuit in effectu quod recolende memorie serenissimi principes domini Karolus secundus, Robertus ejus filius, reges, et serenissima principissa domina Johanna, regina Jherusalem et Sicilie, dictorumque comitatuum Provincie et Forcalquerii comites et comitissa, predecessores nostri, singularem gerentes fervide devotionis affectum ad fundationem et augmentum ecclesie prefate, nonnulla privilegia, gratias, libertates, indulta, donationes et concessiones eidem ecclesie munifica largitione liberaliter erogarunt. Et inter alia, prefati regis Karoli pia devotione, pro vita et substentatione fratrum dicti conventus, ducentas quinquaginta libras coronatorum provisionis annue, percipiendas anno quolibet in et super redditibus et proventibus clavariarum nostrarum Brinonie et Sancti Maximini; et ex altera parte, uncias tres auri per prefatum regem Robertum, in suo quod condidit ultimo testamento legatas, super ipsismet juribus, redditibus et proventibus clavariarum predictarum; prout in litteris et testamento super hoc confectis, postmodum per jamdictam reginam Johannam, et successive per serenissimos principes felicis recordationis, dominos reges Ludovicum secundum, genitorem, et Ludovicum tertium, fratrem nostros reverendissimos, ratifficatis et approbatis, dignoscitur latius contineri. Propter quod humilius supplicavit ut

nos votis antecessorum nostrorum pie conformantes super premissis, confirmationis nostre presidium impendere de benignitate regia, dignaremur. Nos autem, visis prefatis litteris, et signanter dominorum genitoris et fratris nostrorum predictorum, sub autentica forma confectis, per priorem prefatum in nostro consilio originaliter exhibitis, datis, videlicet paternis litteris, in villa nostra Tharasconis, die prima mensis octobris M.CCCC. secundo, fraternis vero in civitate nostra Averse, die XV mensis januarii M.CCCC.XXIIII.; progenitorum nostrorum vestigiis inherentes, ac non solum cupientes divini numinis cultum non minui, sed potius ampliari et augmentari, principue in religiosis ac venerabilibus locis que de regia nostrorum predecessorum fundatione existunt, et specialiter *in eodem monasterio, in quo requiescunt gloriosissime Marie Magdalenes reliquie, ad quam devotionem gerimus singularem;* presentium tenore, de certa nostra scientia, et cum nobis assistentis consilii deliberatione, *predictas litteras paternas et fraternas, nec non privilegia, concessiones, gratias, et litteras clare memorie Karoli secundi, Roberti et Johanne, regum et regine dicti regni, nostrorum predecessorum, provisionis annue ducentarum quinquaginta librarum coronatorum, ac unciarum auri trium*, percipiendarum et habendarum in et super juribus, redditibus, proventibus clavariarum villarum seu castrorum Brinonie et Sancti Maximini; ceteras etiam gratias, inmunitates et privilegia, per eosdem nostros predecessores eidem monasterio concessas et concessa, de quibus prefatum monasterium, retroactis temporibus, extitit in possessione vel quasi, *laudamus, ratifficamus, approbamus*, ac nostre regie confirmationis auctoritate, presidio et munimine, juxta formam, tenorem et continentiam litterarum et privilegiorum hujusmodi, et alias prout et quemadmodum per litteras regias et reginales, paternas et fraternas, supra designatas, confirmate fuerunt et confirmata, confirmamus; volentes et decernentes has nostras ratifficationem, approbationem et confirmationem, eidem monasterio esse perpetuo valituras, incomutabiles et reales. Et insuper, quia nonnunquam thesaurarii nostri,

clavarii, ceterique, per quorum manus prefati prior et conventus sunt hujusmodi provisionem et legatum recepturi, illorum solutionem, in toto vel in parte, differunt, et per subterfugia recusant aut denegant exhibere, volentes ipsos priorem et conventum a talibus indebitis vexationibus preservare, ut sublatis secularibus occupationibus, valeant liberius divinis vacare servitiis; earumdem tenore presentium, nobilibus et egregiis viris, fidelibus nostris dilectis, Magistris Rationalibus magne nostre regie curie ac rationalibus camere nostre rationum, Aquis residentibus, ceterisque officialibus nostris in dictis comitatibus Provincie et Forcalquerii constitutis, ad quos spectat, presentibus et futuris, committendo mandamus quatenus de prefatis pentione et legato, per eos ad quos spectat et spectabit in futurum, faciant eisdem priori et conventui integre responderi, et integram solutionem exhiberi, juxta formam et tenorem privilegiorum et gratiarum nostrorum predecessorum predictorum; prefatum etiam monasterium, dictosque priorem et conventum, in possessione gratiarum et privilegiorum hujusmodi, in qua repererint illos esse de presenti, temporibus perpetuis conservent, tueantur et deffendant; ipsosque ad restitutionem injuste ablatorum, seu illorum quibus ipsos repererint indebite spoliatos, reintegrent et restituant, ac ab omni inquietatione et perturbatione indebitis, auctoritate nostra preservent, faciantque ab aliis nostris officialibus minoribus preservari et deffendi; audentes in contrarium animadversione condigna compescendo... Datum in civitate nostra Massilie, per magnificum militem, juris utriusque professorem, Jordanum Britii, dominum de Vellautio, magne nostre curie magistrum rationalem, consiliarium et fidelem nostrum dilectum, majoremque et secundarum appellationum judicem comitatuum predictorum Provincie et Forcalquerii, die nona mensis martii, prime indictionis, anno domini M.CCCC.XXXVII^{mo}, regnorum vero nostrorum anno quarto.

Arch. des B. du Rh. B. 11. *Reg. Lilii,* fol. 221 v°.

XXVI.

DEUXIÈME DIPLÔME DU ROI RENÉ,

Pour sauvegarder les droits du couvent de Saint-Maximin sur les revenus du domaine royal de Brignoles, et sur la seigneurie de Roquebrune.— 16 mars 1438.

RENATUS, Dei gratia, Jherusalem et Sicilie rex, Andegavie, Barri et Lothoringie dux, comitatuum Provincie et Forcalquerii, Cenomanie ac Pedemontis comes, Magistris rationalibus magne nostre curie comitatuum Provincie et Forcalquerii predictorum Aquis residentis, fidelibus nostris dilectis, gratiam et bonam voluntatem. DEVOTA, PRO PARTE oratorum nostrorum prioris et conventus beate Marie Magdalene, ville nostre Sancti Maximini, facta culmini nostro petitio continebat, quod quanquam dictis fratribus, pro eorum vite substentatione, facta fuerit a retro principibus antecessoribus nostris, dicti monasterii fundatoribus, memorie gloriose, annua provisio librarum coronatorum ducentarum quinquaginta, percipiendarum super juribus clavariarum villarum nostrarum Brinonie et Sancti Maximini, et propterea jura censusve, seu servitia regie ferraginis dicte ville Brinonie, sub dictis juribus comprehensa, recipi deberent rationabiliter a fratribus exponentibus supradictis, nichilominus tamen sunt illorum perceptione frustrati, cum assignata dicantur monasterio Sancte Paule, civitatis nostre Massilie, in prejudicium eorumdem. Et ulterius, licet dicti prior et conventus habeant in loco de Rocabruna merum imperium, etiam in brevibus aliorum condominorum dicti loci, et propterea ibidem deputent officiales necessarios residentiam facientes, ut decet, teneantque furcas, peyronum, et alia justitie insignia erecta, prout est in talibus opportunum; hiis tamen non obstantibus, in hujusmodi imperio fratres ipsi ab officialibus nostris indebite multotiens fatigantur, et in eorum usurpationem jurisdictionis, nostrum in

Provincia residens consilium mulieres certas de veneficio condempnatas, alio erecto patibulo, nuper suspendi mandavit, in eorum dispendium et jacturam. Propter quod devotius supplicarunt, ut tam super petitione dictorum censuum et servitiorum regie ferraginis Brinonie eis indebite occupata, quam prepedito eis dicto mero imperio, et novi patibuli adhuc apparentis erectione facta, providere, de benignitate regia, dignaremur. Nos autem, nolentes dictos fratres in premissis, contra rationis debitum, molestari, volumus et vobis, tenore presentium, cum nostri deliberatione consilii, expresse precipimus et mandamus, etiam, si opus fuerit, committendo quatenus, si vocato procuratore dicti monasterii Sancte Paule, et aliis evocandis, vobis constiterit census et servitia supradicta fuisse in lesionem et prejudicium dictorum fratrum supplicantium, eidem monasterio Sancte Paule assignata, fratribus eisdem de illis faciatis de cetero integraliter responderi, facta dicto monasterio Sancte Paule assignatione in aliquo non obstante; sic et taliter quod tam dictorum censuum et servitiorum, quam aliorum jurium pro dictis ducentis quinquaginta coronatorum libris assignatorum, perceptione, summam integraliter assequantur; residuum, si quod supersit, dicto monasterio Sancte Paule assignando, et responderi faciendo. Et in casum oppositionis cujuslibet in adversum forsitan faciende, eisdem supplicantibus ministretis et faciatis brevis et expedite justitie complementum; procedendo summarie, simpliciter et de plano, sola facti veritate perspecta. Et nichilominus, de et super mero imperio preasserto vos summarie informantes, si vobis apparuerit de eodem, fratres ipsos manuteneatis et deffendatis in illo, juris presidiis et favoribus opportunis. Et si furcarum novarum erectio, et alia dicti nostri consilii mandato facta, cedant in eorum occupationem jurisdictionis prefate, furcas ipsas dirrui et demoliri facientes, declaretis acta hujusmodi non attulisse afferreque supplicantibus ipsis, in eorum jurisdictionem, prejudicium aliquale; quod et nos, illo casu, similiter declaramus. Presentibus debite executis remanentibus presentanti. Datum in civitate nostra Massilie, per magnificum militem, juris

utriusque professorem, Jordanum Britii, dominum de Vellautio, magne nostre curie magistrum rationalem, consiliarium et fidelem nostrum dilectum, majoremque et secundarum appellationum judicem comitatuum predictorum Provincie et Forcalquerii, die XVI. mensis martii, anno domini M.IIII^cXXXVII., regnorum vero nostrorum anno IIII^to.

Ibid. B. 11. Reg. *Lilii*, fol. 223.

XXVII.

TROISIÈME DIPLÔME DU ROI RENÉ,

Réservant la perception des 250 livres assignées au couvent de Saint-Maximin sur les droits royaux de Brignoles.— 16 mars 1438.

RENATUS, Dei gratia Jherusalem et Sicilie rex..., Magistris rationalibus magne nostre curie dictorum comitatuum Provincie et Forcalquerii, Aquis residentibus, necnon officialibus reginalis materne atque nostre curie ville Brinonie, et curie nostre Sancti Maximini..., gratiam et bonam voluntatem. PRO PARTE ORATORUM nostrorum devotorum prioris et fratrum Predicatorum conventus beate Marie Magdalenes, dicte ville Sancti Maximini, fuit nobis noviter expositum cum querela quod, licet fratribus ipsis et conventui, per divos retroprincipes predecessores nostros, dicti monasterii fundatores, ipsi monasterio pro sustentatione vite fratrum debentium ibidem residere, et ne cogantur hinc inde incedere mendicando, statuta fuerit provisio annua ducentarum quinquaginta librarum coronatorum, percipiendarum super juribus clavariarum dictarum villarum Brinonie et Sancti Maximini, nichilominus prior et fratres ipsi, ex provisione hujusmodi, non assequuntur annuatim ultra summam centum florenorum monete nostre Provincie, multiplici ratione : tum quia jura macelli dicte ville Brinonie, que in juribus clavarie ipsius

comprehenduntur, eis ex regia fraterna concessione quondam domini regis Ludovici tertii, gloriose memorie, fratris nostri reverendi, postmodum subsecuta, competentia, non permittuntur recipere, ut deberent; necnon propter pestes crebre, proch dolor! vigentes hac in patria, quibus causantibus, jura ipsa quampluri-mum minorantur; tum etiam propter nonnullas pretensas immunitates quas homines plurium locorum nostrorum demanalium, pretendentes habere jura pretacta, in quallibet villarum ipsarum solvere renuunt; et ultra hec, propter collusionem quandam per Brinonienses noviter adjunctam, de vendendo et emendo eorum bladum, et alia, in territorio de Artacella territorio Brinoniensi contiguo, in fraudem juris cossearum eisdem priori et conventui propterea assignati, a cujus solutione bladum et alia hujusmodi sic collusive vendentes immunes se esse dicunt pariter et exempti; que omnia cedunt in dictorum exponentium dampnum et prejudicium multum grande, supplicantium propterea sibi de opportuno remedio benigniter subveniri. Nos autem plenarie certificati de assignatione dictarum librarum ducentarum quinquaginta preposita, ac etiam concessione jurium macelli predictorum, in quorum omnium perceptione illos nolumus contra debitum quomodolibet molestari, fidelitati vestre, tenore presentium, expresse *precipimus et mandamus quatenus dictos priores et fratres integra perceptione, tam jurium dicti macelli Brinonie, quam aliorum quorumlibet eis assignatorum, que ipsos assequi volumus, omni perturbatione semota, frui et gaudere permittentes, de eisdem juribus faciatis, juxta assignationem eis factam, per omnia responderi, et satisfieri a personis illa debentibus quibuscumque*, sic et taliter quod fratribus ipsis de cetero non subsit materia ulterioris querele. Et ne, pretextu immunitatum pretensarum, dicti fratres et conventus dispendium aliquod indebite patiantur, presentibus duximus declarandum, immunitates quascumque quibuslibet universitatibus et personis concessas, qualitercumque et ex quacumque causa, post concessam provisionem predictam, dictis fratribus et conventui in aliquo prejudicium non afferre, talesque universitates et personas dictis

immunitatibus in dictorum fratrum prejudicium gaudere aliqualiter non debere, sed ad jura predicta solvendum compelli, ipsis immunitatibus non obstantibus quoquo modo. Volentes propterea et vobis expresse mandantes, ad obviandum dictorum Brinoniensium collusioni prefate, ut voce preconia publice divulgari faciatis, et expresse prohiberi quod nulla persona, cujuscumque conditionis existat, audeat seu presumat bladum et alia venalia vendere et emere in dicto loco de Artacella, in prejudicium et fraudem jurium cossearum et lesdarum ville Brinonie antedicte; sub pena centum marcharum argenti fini, pro quolibet sic vendente et emente, et vice qualibet, ac amissione rerum talium sic emptarum. Presentibus, executis debite, remanentibus presentanti. Datum in civitate nostra Massilie..., die XVI. mensis martii, prime indictionis, anno domini M.IIII^c^XXXVII, regnorum vero nostrorum anno quarto.

Ibid. B. 11. Reg. *Lilii* fol 223 v°.

XXVIII.

QUATRIÈME DIPLÔME DU ROI RENÉ,

Autorisant la tenue des chapitres généraux de l'ordre à Saint-Maximin, mais non celle des chapitres provinciaux.— 8 octobre 1439.

Renatus, Dei gratia Jerusalem et Sicilie rex, Andegavie, Barri et Lothoringie dux, Pontis marchio, Provincie et Forcalquerii, Cenomanie ac Pedemontis comes, venerabilibus et religiosis viris prioribus loci Sancti Maximini, de patria nostra Provincie, presenti et futuris, necnon conventui ejusdem loci, ordinis Predicatorum, devotis nostris dilectis, gratiam et bonam voluntatem. Tenemur, ex dominice compassionis instinctu, ea que ad Dei honorem et laudem sunt ordinata non solum confirmare, sed etiam de novo ordinare; quia, dum illa confirmationis

et nove nostre ordinationis munimine validamus, devotionem nostrorum fidelium ferventius in domino adaugemus, nobisque per consequens preconium vendicamus. Sane noviter, pro parte vestra, fuit Majestati nostre expositum reverenter quod olim clare memorie serenissimus princeps dominus rex Robertus, dum viveret, providit et voluit quod proviso tempore per Magistrum et fratres dicti vestri ordinis Predicatorum, cum conscientia tamen et licentia sua regali, posset generale Capitulum in eodem loco Sancti Maximini celebrari, provinciale tamen in illo fieri licentia, sine suo speciali mandato, penitus interdicta; prout in quibusdam litteris prefati quondam regis Roberti exinde factis, et vobis concessis, plenius continetur et declaratur. Propter quod extitit culmini nostro, pro parte vestra, humiliter supplicatum ut dictas litteras regias confirmare, et de novo ea que continentur in illis concedere benignius dignaremur. Nos vero pia loca et personas religiosas specialibus favoribus prosequentes, nec minus considerantes quod in consilio et congregatione justorum magna Dei opera exercentur; necnon *ad dictum locum Sancti Maximini, ob reverentiam beate Magdalene, et aliorum sanctorum quorum corpora ibidem in domino requiescunt, specialem devotionem gerentes*, ac vestris votis honestis et justis, quantum comode possumus, satisfacere cupientes, quanquam predicte littere regie per se valide sint et firme, ad majoris tamen cautele sufragium, jamdictas litteras ipsius quondam regis Roberti, cum omnibus que continentur in illis, tenore presentium, de certa nostra scientia, et proprio motu, confirmamus et ratificamus, acceptamus et approbamus, nostreque potestatis et auctoritatis presidio communimus. Et nichilominus, ad majorem cautelam, *de novo providemus et volumus quod interdum, proviso tempore per Magistrum et fratres predicti vestri ordinis Predicatorum, cum conscientia tamen et licentia nostra regali, ob communem devotionem beate Marie Magdalene, et aliorum sanctorum predictorum, generale Capitulum in eodem loco celebrari libere valeat atque possit, provinciale tamen in illo fieri licentia, sine nostro speciali mandato, ut predicitur interdicta.* Quaprop-

ter, universis et singulis officialibus et subditis nostris, majoribus et minoribus, quocumque titulo et denominatione notentur, officioque fungantur, in ipsa patria nostra Provincie et terris adjacentibus constitutis, presentibus et futuris, damus, earumdem tenore presentium, et de dicta scientia certa nostra, districtius in mandatis, quatenus, contra continentiam presentium nostrarum litterarum, aliquid facere vel attentare non audeant, neque presumant, sicut nostram gratiam caram habent, et indignationem, aut penam aliam graviorem, cupiunt non subire. Presentes autem litteras magno nostro pendenti sigillo munitas eidem vestro loco duximus concedendas, in testimonium premissorum; quas, post oportunam inspectionem earum, penes dictum locum, pro cautela, volumus remanere, efficaciter in antea valituras; ipsasque, pro earum validiori robore, dedimus et subscripsimus propria nostra manu. Datum in castro nostro Capuano Neapolis, per manus nostri predicti regis Renati, anno domini M.CCCC.XXXIX., die VIII, mensis octobris, tertie indictionis, regnorum nostrorum anno quinto.

Ibid. B. 11. Reg. *Lilii*, fol. 349 v°.

XXIX.

OUVERTURE DE LA CHASSE DE SAINTE MARIE MADELEINE,

Faite en présence et par ordre du roi René, pour en vérifier le contenu.— 29 juin 1449.

Apertio capsie, et repertio atque inspectio ossium beate Marie Magdalene. — In nomine domini nostri Jhesu Christi. Amen. Anno a nativitate ejusdem Domini M.CCCC.XL.IX., indictione XII. cum eodem anno, more romane curie sumpta, et die XXIX. mensis junii, regnante feliciter serenissimo et illustrissimo principe et domino nostro domino Renato, Dei gratia rege Jherusalem et Sicilie, ducatuum Andegavie, Barri et Lothoringie

duce, comitatuumque Provincie et Forcalquerii, ac-Pedemontis comite. DIGNUM QUIDEM EST venerari eos quos dominus noster Jhesus Christus benedictus, dum in hoc mundo regnaret humaniter, dignatus est sua presentia honorare, et tam in vita quam post mortem ipsorum, sua clementia, illorum contemplatione, quamplura et infinita miracula facere, pro tanto... Universis et singulis, tam presentibus qnam futuris, seriem hujus veri et publici instrumenti visuris, lecturis, et etiam audituris, pateat et sit notum quod prefatus serenissimus et illustrissimus dominus dominus noster rex Renatus, Dei gratia regnorum rex, ducatuum dux, et comitatuum comes predictorum, immitari et sequi volens vestigia aliorum serenissimorum et illustrissimorum principum domus christianissime Francie, ex qua sumpsit originem, que sepissime ecclesiam Dei prostratam et fluctuantem, sua potentia, divina favente gratia, sustinuit, et plura scismata ab eadem ecclesia extirpavit; ad laudem, honorem et gloriam Dei omnipotentis, et sanctorum ejus; *commotus precipue devocione singulari quam habet erga beatam Mariam Magdalenam, pro qua dominus noster Jhesus Christus, caput ecclesie, et per merita sue passionis redemptor humani generis, multa fecit prodigia, et ejus amore, lacrimando, miraculose a mortuis resurrexit beatum Lazarum, fratrem suum, quatriduanum et jam fetidum; cupiens toto suo posse prefatam beatam Mariam Magdalenam, que, causantibus suis miraculis et meritis, hanc suam patriam Provincie et Forcalquerii ad fidem Christi convertit, et multis donis spiritualibus illustravit, exaltare, et certifficari que reliquie, sive res, sunt in capsia existente supra magnum altare ecclesie prefate Marie Magdalene hujus ville Sancti Maximini, conventus fratrum Predicatorum, ordinis beati Dominici, cum secundum vulgi oppinionem, dicantur seu presumantur esse predicte beate Marie Magdalene,* et ad noticiam veram omnium et quorumcumque ad dictam ecclesiam confluencium, et scire volencium, pervenire valeant. Et propterea, existens ante dictum magnum altare, presentibus ibidem illustri, magnificis, nobilibus et egregiis viris dominis infrascriptis, testibus ad hec vocatis

et requisitis, et me notario subscripto, pluribusque fratribus dicti conventus, atque pluribus et diversis aliis nobilibus et plebeis, in multitudine copiosa ibidem congregatis, jussit et ordinavit, atque fecit dictam capsiam descendi a loco in quo erat, et poni supra altare predictum, et ibidem repositam aperiri. Qua aperta, et diligenter inspecta, infra illam fuerunt reperta, ac publice visa, inspecta et palpata, plura et diversa ossa corporea, et quedam patentes littere dominorum archiepiscopi, episcoporum et abbatum, in illis nominatorum, sigillis regio et eorum impendenti, juxta quod in illis legitur et apparet, sigillate, non viciate, non cancellate, nec in aliqua ipsarum parte suspecte, sed prorsus omni vitio et suspictione carentes; secundum quarum tenorem, constat et apparet dicta ossa esse corporis beate Marie Magdalene. Que quidem littere, de mandato dicte sacre regie majestatis, ad exaltationem prefate Marie Magdalene, que lotrix fuit pedum Christi, et triginta annis in antro solitario penitentiam peregit, et illam peragendo cibaria per angelos sibi, divina favente gratia, ministrari obtinuit, et de gratia speciali veniam peccatorum suorum consequta fuit, ibidem fuerunt lecte et publicate, alta et intelligibili voce, per me secretarium regium et notarium publicum infrascriptum, et reperte esse continencie et tenoris subsequentis, videlicet : Sequitur tenor dictarum litterarum.— Nos Grimerius, permissione divina Aquensis archiepiscopus... *(V. Faillon. tom. II. n° 83)* (1). — Et post datam dictarum litterarum, in fine illarum, supra loca in quibus sunt alligata sigilla pendencia, fuerunt reperta nomina infra proxime descripta, denotancia, sicuti ex illis apparebat et apparet, quorum sunt sigilla ipsa, et hoc, supra quodlibet sigillum unum ex dictis nominibus, ut sequitur infra; videlicet : Regis, Aquensis, Aptensis, Sistaricensis, Carpentoratensis, Forojuliensis, Venciensis, Cluniacensis, Sancti Egidii, Aque belle, Silvecanensis, Francarum Vallium, Vallis magne, Thoroneti, Sinaque, Silve

(1) Le nom de l'archevêque d'Aix que M. Faillon a lu *Grimericus*, est *Grimerius*, et celui de l'abbé de Silvacane, qu'il a écrit *Bertrandus*, doit être remplacé par *Bernardus*.

regalis, Regalis Vallis. Quibus quidem litteris supra insertis, et ossis infra dictam capsiam repertis diligenter et publice inspectis, et litteris ipsis lectis et publicatis, ut prefertur, prefata sacra regia majestas, de sui certa sciencia, ad eternam rey memoriam futuramque cautelam, et certis aliis ex causis et rationibus animum suum moventibus, jussit, et ordinavit pariter, et fecit dictam capsiam, cum ossis predictis infra illam repertis, claudi, et supra dictum altare, in loco in quo prius erat, esseque et teneri consuevit, reduci et reponi; et dictas litteras supra insertas, infra illam repertas, poni in quodam armario cledato, existente et constructo infra dictam ecclesiam, a parte dextra dicti magni altaris, sive versus partem in qua dicitur evangelium; in quo armario sunt et tenentur, tenerique consueverunt, plures et diverse reliquie Sanctorum; prout et sic illico premissa omnia facta et exequtioni debite demandata fuerunt, juxta ordinationem et mandatum dicte sacre regie majestatis, et in illius exequtionem. De quibus omnibus... Acta fuerunt hec omnia in villa predicta Sancti Maximini, infra dictam ecclesiam beate Marie Magdalene, ante dictum magnum altare, et supra, et ante dictum armarium, et alias ubi supra, presentibus ibidem..... illustri, magnificis, nobilibus, venerabilibus et egregiis viris et dominis, dominis Frederico de Lothoringia, genero dicte sacre regie majestatis Jherusalem et Sicilie, Astorgio de Petra, milite, domino dicti loci de Petra et de Trictis, Ludovico de Bornano, domino de Codrayo, milite, cambellanis, Philipo de Lenoncourt, Bertrando de la Haye, domino de Malalieure, Surleone Spinole, scutifferis et consiliariis regiis, Guerino de Charvo, Guilhoto de Angluria, Roberto du Fay, Arnulpho Botarici, bajulo curie regie dicte ville Sancti Maximini, Gaspardo de Laurencio, de Aversa, scutifferis regiis, magistro Anthonio de Laurencio, de Aversa, doctore in medicina, phisico regio, domino Petro de Medonta, elemosinario regio, Johanne Bernardi, Johanne de Morancia, varletis camere regie, fratre Guillelmo Cliqueti, ordinis Sancti Augustini, presbitero regio, Masse du Houssay, alias los Roges, armorum ordinis du Croissant Sancti Mauricii, et mar-

chie Andegavensis, Guillelmo Tourneville, Johanne de Charneriis, Olivario Oloreti, et Johanne Borserii, diocesis Andegavensis, secretariis prefate sacre regie majestatis, necnon discretis viris magistris Johanne Silvi, Johanne Arbaudi, notariis, Bermundo Claperii, et Gaufrido Pugeti, dicte ville Sancti Maximini, testibus ad premissa vocatis et requisitis, et pluribus fratribus dicti conventus... Et me Johanne Dalphini, dicto vulgariter Relhoni, de Draguiniano, diocesis Forojuliensis, cive Aquensi, prefate sacre regie majestatis Jherusalem et Sicilie secretario et notario publico...

***Arch. des B. du Rh.* B. 1461. fol. 39. Reg. du not. Dalfini.**

XXX.

CINQUIÈME DIPLÔME DU ROI RENÉ,

Affranchissant les moulins du couvent de Saint-Maximin des droits qu'avait sur eux le seigneur d'Auriac.—22 avril 1460.

Renatus, Dei gratia Jherusalem et Sicilie rex, ducatuum Andegavie et Barri dux, comitatuumque Provincie et Forcalquerii, ac Pedemontis comes, universis et singulis, tam presentibus quam futuris, Notum facimus quod nos, pia devotione affecti ad omne decus onerumque relevamen conventus nostri beate Marie Magdalene, ville nostre Sancti Maximini, attendentesque insuper onera incumbentia eidem conventui, ad causam molendinorum ejusdem conventus, sitorum in territorio de Auriaco, que commissa per dominum de Auriaco prethendebantur, et, casu quod non forent, tamen, sicut domino dicti castri de Auriaco, annis singulis, de uno denario, et que preterea, de septennio in septennium, ad trezenandum, seu pro valore eorumdem molendinorum trezenum solvendum eidem domino de Auriaco tenentur; quorum quidem servitii et juris trezeni, ut accepimus, multa debentur arreragia, ad quorum solutionem idem conventus

providere non valet presentialiter; unde futurum est ut ipsa molendina, propter canonis et juris trezeni prestationem retardatam, una dierum incidant in commissum, non sine grandi damno ejusdem conventus. Sepius igitur in animo nostro revoluto unde, qualiter et quomodo, huic dicti conventus indempnitati et relevamini, et futuro periculo providere possemus, ut inibi Deo famulantes accuratius deservire valeant in divinis, occurrit menti nostre admodum opportunum multumque conveniens atque gratum (remedium); videlicet, ut cum idem dominus dicti castri de Auriaco, pretextu castri de Sancto Stephano, teneatur nostre curie in quatuor libris coronatorum, ex causa cavalcatarum, annis singulis solvendis, de quibus, simul et earum arreragiis, arbitramur eumdem dominum de Sancto Stephano posse debite compensari, si tamen, nostra contemplatione, dictum commissum, et servitium, et jus trezenandi superius expressum, cum illorum predictis arrayragiis, amortizare, et imperpetuum remittere, et affranquire voluerit conventui memorato, retento tantum et dumtaxat sibi domino de Sancto Stephano de Auriaco, et suis successoribus, jure prelationis dicta molendina pre ceteris retinendi, totiens quotiens illa alienari contingerit, in solidum vel in parte. *Cum itaque nobilis et egregius vir, consiliarius et scutifer, nosterque fidelis dilectus, Honoratus de Berra, modernus dominus dicti castri de Auriaco et de Sancto Stephano, devictus nostris exortationibus, alias non facturus, omne jus commissi, si quod sit, et canonem sive servitium annuale, jusque trezenandi de septennio in septennium, et illorum quecunque arrayragia usque diem in presentem, super dictis molendinis sibi debita, remiserit, et afranquiverit, ac amortizaverit, cesseritque totaliter et perpetuo conventui memorato*, salvis et retentis premissis...; ecce quod nos remissionem, et affranquimentum, ac amortizationem predictas, cum retentionibus memoratis, gratas gerentes, easque nostre superioritatis regalis auctoritate, de certa nostra scientia, velud nostris contemplatione et prosequtione factas, approbantes et omologantes...; cupientes dictum dominum de Auriaco modo quo supra compensare, ne videamur

offerre Deo sacrificium de alieno gratis; igitur, per nos nostrosque heredes et successores quoscumque, in recompensationem annualis servitii, jurisque de septennio in septennium trezenandi, et illorum arreragiorum quorumcumque, super dictis molendinis prefato domino de Auriaco debitorum, ipsi eidem domino de Auriaco, suisque heredibus et successoribus quibuscumque, dictas quatuor libras coronatorum annuales, ratione dictarum cavalcatarum, curie nostre debitas, et prestari solitas, ratione dicti castri de Sancto Stephano, ac illarum quecumque arrayragia, damus, donamus, cedimusque, ac perpetuo remittimus, et castrum memoratum a dicto servitio perpetuo liberamus... Mandantes... Quia ita fieri volumus et jubemus. In quorum fidem, dictique domini de Auriaco et suorum futuram cauthelam, presentes fieri, et sigillo nostro jussimus debite communiri. Datum in civitate nostra Aquensi, sub nostre proprie manus subscriptione, die XXII. mensis aprilis, anno domini millesimo CCCC.LX^mo^.-RENÉ.-Per Regem, ore proprio...

Arch. des B. du Rh. B. 14. Reg. *Leonis*, fol. 272.

XXXI.

SIXIÈME DIPLÔME DU ROI RENÉ,

Décrétant que le recouvrement des legs et des sommes dues au couvent de Saint-Maximin se ferait, sans forme de procès, comme pour les dettes fiscales.— 9 août 1460.

RENATUS, Dei gratia Jherusalem et Sicilie rex, ducatuum Andegavie et Barri dux, comitatuumque Provincie et Forcalquerii, ac Pedemontis comes, reverendo in Christo patri magnificisque et egregiis viris Magno Presidenti ac magistris rationalibus magne nostre curie, Aquis residentibus, presentibus et futuris, consiliariis et fidelibus nostris dilectis, gratiam et bonam voluntatem. PRO PARTE CONVENTUS NOSTRI Fratrum Predicatorum ville

nostre Sancti Maximini, oratorum nostrorum, fuit Majestati nostre humillime supplicatum ut, cum idem conventus oneribus sibi incumbentibus, tum propter substentationem fratrum tam inibi Deo obsequentium quam aliorum studio vacantium, necnon reparationes dietim necessarias tam in dicto conventu quam in antro beate Marie Magdalene, et signanter quia mendicitate caruerunt et carent, non valent suis occurrentibus necessitatibus aliter providere, nisi legata pia, aliaque jura et credita ipsius conventus manu brevi et sine lite consequantur, que tamen diffugiis debitorum solent differri in dies, non sive involucro processuum, et grandi dispendio conventus memorati, dignaremur super hoc ita providere ut, sequestratis processibus et dilationibus, valeat idem conventus premissorum omnium, advenientibus solutionum terminis, satisfactionem consequi realiter et cum effectu, etiam more fiscalium debitorum, considerata causa pia de qua agitur. Nos vero, predecessorum nostrorum recolende memorie retrodivorum principum, fundatorum jamdicti conventus, vestigia insequentes, ob Dei omnipotentis reverentiam principaliter et honorem, *devotione quoque etiam quam gerimus beate Marie Magdalene, cujus solemnitas per dictos supplicantes incessanter devotissime celebratur ;* ex hiis et aliis mentem nostram pie moventibus, in hac parte dictis supplicationibus annuentes, volumus et vobis, tenore presentium, cum nostri consilii delibeberatione, expresse committimus et mandamus quatenus, visis presentibus, et alias quotiens pro parte dicti conventus fueritis requisiti, intimetis, aut intimari faciatis, singulis jam dicti conventus ex quacumque causa debitoribus, tam presentibus quam futuris, ut quicquid, a die intimationis hujusmodi sibi fiende in futurum, debebunt ex quacumque causa dicto conventui, illud, advenientibus solutionum terminis, jam dicto conventui, seu ejus procuratori vel yconomo, solvere et realiter expedire procurent peremphorie et precize, cum dies interpellet pro homine ; in quo siquidem termino, *si debitores ipsi sic premoniti deffecerint, tunc eosdem debitores ad solvendum realiter et expediendum eidem conventui, seu suo priori vel yconomo, quicquid constiterit de-*

beri, cogatis et compellatis per quecumque remedia opportuna, etiam more fiscalium debitorum, appellatione et oppositione rejectis, una cum expensis legitimis. Processuri in premissis ac incidentiis exequtive, et quantum fieri poterit, ex non scripto, sine forma et figura judicii, sola facti veritate inspecta. Quibuscumque privilegiis universitatibus presentis patrie concessis, quibus cavetur ut cives, incole et habitatores, debeant coram eorum ordinario conveniri; super quibus, pro hac vice, attenta causa pia de qua agitur, de potestate dominica, nostraque certa scientia, dispensamus, et que hic haberi volumus pro expressis, minime obstituris. Quoniam ita fieri volumus et jubemus. . In quorum fidem, presentes fieri, et sigillo nostro jussimus debite communiri. Datum in civitate nostra Aquensi, sub nostre proprie manus subscriptione, die nona mensis augusti, anno domini millesimo quadringentesimo sexagesimo.-René.

Ibid. B. 14. Reg. *Leonis*, fol. 280.

XXXII.

SEPTIÈME DIPLÔME DU ROI RENÉ,

Pour accélérer les réparations nécessaires aux bâtiments de la Sainte-Baume, qui menaçaient ruine.— 9 août 1460.

Renatus, Dei gratia Jherusalem et Sicilie rex.. , reverendo in Christo patri magnificisque et egregiis viris Magno Presidenti et magistris rationalibus magne nostre curie..., consiliariis et fidelibus nostris dilectis, presentibus et futuris, gratiam et bonam voluntatem. Cum externa die, *visitantes sacrum antrum beate Marie Magdalene, subjecto oculis nostris dormitorio fratrum inibi Deo famulantium, eo quia diversimode ruynam minabatur, causam retardate reparationis illius exquirentes, accepimus pro eo ipsam reparationem retardari, quia arrayragia censuum, servitiorum, anniversariorum, legatorum, et aliorum jurium et creditorum dicti conventus, consequi non valent, propter diffugia,*

ac quandoque malitiam et potentiam debitorum. Ne igitur, propter retardationem satisfactionis dictorum arrayragiorum, dictum dormitorium ruat funditus, deffectu reparationum, vel alias dictus conventus patiatur quomodolibet detrimentum; cupientes huic conventui a nostris recolende memorie predecessoribus fundato et dotato, quantum poterimus, auxiliari; volumus et vobis, de quorum fide, scientiaque et sufficientia ab experto confidimus, tenore presentium, de certa nostra scientia, et cum nostri consilii deliberatione matura, expresse committimus et mandamus quatenus, acersitis coram vobis debitoribus dicti conventus, causam solutionis dictorum legatorum et quorumcumque arrayragiorum amicabiliter, quantum poteritis, inter partes componatis. Quod si ita componere non poteritis, eo casu, ipsos debitores ad solvendum et expediendum quicquid deberi propterea apparuerit prefato conventui, seu ejus priori vel yconomo, cogatis viriliter, et compellatis per distractionem suorum bonorum, primo mobilium, et in eorum deffectu immobilium, ac alia remedia opportuna, una cum expensis legitimis; oppositione et appellatione rejectis; proviso tamen quod bona mobilia post quinque dies, immobilia vero propterea capienda spatio decem dierum inquantentur; aliis curiarum terminis ordinariis penitus sequestratis. Procedendo in premissis ac incidentibus, dependentibus, emergentibus et connexis, terminis abbreviatis quantum fieri poterit, ex non scripto, et alias summarie, simpliciter et de plano, sine strepitu, forma et figura judicii, oblatione libelli, litis contestatione, ac aliis litium anfractibus procul pulsis, sola facti veritate inspecta. Quibuscumque oppositionibus et exceptionibus, ac supplicationibus frivolis et inanibus, in adversum fiendis, ac privilegiis universitatibus presentis patrie concessis, quibus cavetur ut cives, incole et habitatores, debeant coram eorum Ordinario conveniri..., minime obstituris... In quorum fidem, presentes fieri et sigillo nostro jussimus debite communiri. Datum in civitate nostra Aquensi, sub nostre proprie manus subscriptione, die nona mensis augusti, anno domini millesimo CCCC.LX.-René.

Ibid. B. 14. Reg. *Leonis*, fol. 280 v°.

XXXIII.

HUITIÈME DIPLÔME DU ROI RENÉ,

Conférant à Elzéar Garnier les titres de conseiller royal et de confesseur.— 19 juin 1470.

RENATUS, etc., universis et singulis presentes nostras litteras inspecturis, tam presentibus quam futuris, salutem. INTER CETERA quibus regale fastigium sublimatur, et principum solia decorantur, illud potissimum fore dignoscitur, cum per circumspectorum virorum consortium cuncta per ipsos principes agenda equo libramine dirimunt, et matura deliberatione disponunt. Necnon et sunt illi caripendendi dilectionis affectu qui, tam principibus quam ceteris Christi fidelibus, semitam summi boni, indefessa conscientia, salubriter perostendunt. Hec enim ac *virtus, scientia, honestas, probitas atque mores religiosi viri fratris Elziarii Garnerii, ordinis Predicatorum, prioris monasterii nostri regalis beate Marie de Nazeret Aquensis, fidelis et devoti nostri dilecti,* uti ejus bene gesta et mores comprobati nobis clarant, et mentem nostram inducunt; nosque cernamus eum erga magestatem nostram fide et devotione, ac aliis eminentibus virtutibus pollere, decrevimus propterea ipsum per nos fore justis favoribus ampliandum. De scientia igitur certa nostra, *eundem fratrem Elziarium (in consiliarium) et confessorem nostrum, tenore presentium, suscepimus (et) duximus pariter retinendum, ac constituimus et ordinamus, aliorumque consiliariorum et confessorum nostrorum cetui et numero aggregantes.* Volentes quod idem frater Elziarius, tanquam consiliarius et confessor noster, illis de cetero honoribus, favoribus, privilegiis et prerogativis, libertatibus, et exemptionibus, ac gratiis potiatur et gaudeat quibus alii consilliarii et confessores nostri potiuntur et gaudent. Mandantes idcirco magno Senescallo nostro, ac Gubernatori sive Locumtenenti patrie nostre Provincie, gentibusque consilii, et

quibuscunque aliis officialibus, subditis nostris, patrie nostre Provincie, ac regnorum et aliorum dominiorum nostrorum officialibus ad quos spectat, presentibus et futuris, quatinus ipsum fratrem Elziarium, tanquam consiliarium nostrum et confessorem, favorabiliter manuteneant, admittant, reputent, foveant, teneant, habeant et pertractent, ope, opere, consiliis, et favoribus debitis et oportunis; contrarium nullo (modo) attemptaturi, quantum nostram gratiam caripendunt. In cujus rey testimonium, fieri fecimus has nostras presentes litteras, subscriptione proprie nostre manus et nostro pendenti sigillo munitas et roboratas, post earum debitam inspectionem, singulis vicibus, presentanti remansuras. Datum in nostro regali Aquensi palatio, die XIX. mensis junii, anno domini M.CCCC.LXX.— René.

Arch. des B. du Rh. Reg: B. 273. fol. 137 v°.

XXXIV.

NEUVIÈME DIPLÔME DU ROI RENÉ,

Accordant au couvent de Saint-Maximin vingt-cinq émines de sel, à prendre, chaque année, au grenier à sel de Toulon.— 22 janvier 1474.

Renatus, Dei gratia, Jherusalem, Arragonum, utriusque Sicilie, Valentie, Majoricarum, Sardinie et Corsice rex, ducatuum Andegavie et Barri dux, comitatuumque Barchinonie, Provincie et Forcalquerii ac Pedemontis comes, granateriis gabelle salis nostre civitatis Tholoni, et cuilibet ipsorum, presenti videlicet et futuris, fidelibus nostris dilectis, gratiam et bonam voluntatem. Si premia conferuntur hominibus, et retributiones merentibus impenduntur, divine clementie, a qua cuncta que habet recipit humana conditio, largitiones sunt exhibende prestantius, et promptis affectibus munificentius impendende. Profusam igitur erga nos superne dexteram largitatis ex multis beneficiis agnos-

centes, conventum Fratrum Predicatorum ville nostre Sancti Maximini, ob reverentiam beate Marie Magdalene, cujus corpus sacratissimum requiescit ibidem, ac in remissionem nostrorum peccaminum, pro vita et substentatione fratrum ejusdem, ac etiam fratrum loci de Balma, membri dicti conventus, de viginti quinque eminis salis recipiendis, annis singulis per imperpetuum, in granerio dicte gabelle, de certa nostra scientia, meraque liberalitate ac gratia speciali, duximus providendum, providemusque, ac dictas viginti quinque eminas salis, ut supra, in eodem granerio, quolibet anno, quando prior et fratres dicti conventus voluerint, recipiendas donavimus, et donamus specialiter per presentes, perpetuo, firmiter ac inviolabiliter valituras. Quocirca, cupientes quod dictus conventus gratia nostra hujusmodi (cum) effectu gaudeat et fruatur, volumus et fidelitati cujuslibet vestrum, tenore earumdem presentium, cum deliberatione nostri nobis assistentis consilii super hiis prehabita, expresse precipiendo mandamus quathinus, a modo in anthea, detis et exsolvatis realiter et cum effectu ipsi priori dicti conventus, presenti et futuro, aut ejus nuntio sive procuratori, quolibet anno, dum et quando voluerit, de sale predicti granerii, viginti quinque eminas, sine quacumque difficultate. Recepturi ab eodem de hiis que sic exsolveritis, singulis vicibus, quittanciarum debitas appodixas; quas vobis sufficere volumus ad cauthelam, et in vestris compotis et rationibus per magnum presidentem, magistros rationales, et rationales camere compotorum archivi nostri Aquensis, acceptari et allocari, et de universali summa salis dicti granerii extenuari, deduci et deffalcari, nullis aliis cauthelis quam presentibus semel tantum originaliter exhibendis, earumve vidimus, copia seu transumpto in forma probante, cui ex nunc volumus, decernimus et declaramus eamdem fidem adhiberi que adhiberetur originalibus litteris, cum dictis quittanciis, ulterius requirendis... In quorum omnium et singulorum fidem et testimonium, ac ejusdem conventus certitudinem et cauthelam, has nostras litteras fieri, et nostro regali sigillo impendenti jussimus communiri. Datum et actum apud villam nostram Sancti Maxi-

mini, sub manus nostre proprie subscriptione, die XXII. mensis januarii, anno incarnationis domini M.CCCC.LXXIII.— RENÉ.

Arch. des B. du Rh. B. 16. Reg. *Pavonis*, fol. 229 v°.

XXXV.

PROCÈS-VERBAL

De l'élection d'Elzéar Garnier au prieuré de Saint-Maximin.— 1er mai 1475.

Illustrissimo principi domino Renato, Dei gratia Jherusalem, utriusque Sicilie, Valentie, Majoricarum, Sardinie et Corsice rex *(sic)*, ducatuum Andegavie et Barri dux, comitatuumque Barchinonie, Provincie et Forcalquerii, ac Pedemontis comes, frater Guilhermus Cayssi, sacre pagine humilis professor, vicarius conventus regalis Fratrum Predicatorum ville Sancti Maximini, ceterique patres et fratres ad ellectionem et postulationem ipsius conventus pertinentes, se ipsos cum recomandatione humilima filiali, et promptitudine sedula in omnibus possethenus famulandi. *Cum ex decessu reverendi patris magistri Jacobi de Ponteves, prioris quondam predicti conventus, non pauca domus jactura incideret; cumque, ex diuturna pastoris absentia, oville Domini precipitium non mediocriter formidare debeat et ruinam; hinc est, serenissime princeps et domine, quod*, servatis omnibus et singulis que in hujusmodi, secundum statuta nostri sacri ordinis, consueta sunt electionibus observari, *die prima mensis presentis madii nunc instantis anni, omnes et singuli fratres prefati habitus et religionis, habita prius deliberatione matura, reverendum magistrum Elziarium Garnerii, virum utique probum, religiosum, scientia et virtutibus predotatum, qui alias in dicto ordine presedisse, et in eodem officio, gloriose dignoscitur*, ad Dei electionem *(sic)* et gloriam, ordinisque decus, *in priorem dicti conventus Sancti Maximini elegerunt fratres infrascripti*, in modum qui sequitur. Ego frater Guilhermus Cayssi, sacre pagine professor, vicarius et primus scrutator, eligo in priorem

presentis conventus Sancti Maximini magistrum Elziarium Garnerii. Item, magister Johannes Bolleti, secundus scrutator, eligit eumdem. Frater Johannes Dulli, tertius scrutator, eligit eumdem. Magister Petrus Garnerii eligit eumdem. Fratres Laurentius Gervesii (et) Johannes Teys, in Sancta Balma commorantes, licet absentes, eligunt eumdem. Frater Stephanus Luqueti, bacallarius, eligit eumdem. Frater Jacobus Agni eligit eumdem. Frater Petrus Brutini eligit eumdem. Frater Johannes Odonelli eligit eumdem. Frater Glaudius Regnaudi eligit eumdem. Demum, eodem contextu, consideratis scientia, probitate, morum honestate, multisque aliis perfectionum atque virtutum predicatis reverendi patris magistri Anthonii Canolle, filii conventualis et originarii (loci istius), in quo sumpsisse habitum perhibetur, prioris conventus Carpentoratensis, quibus tam in temporalibus quam spiritualibus dignoscitur prefulgere, fratres infrascripti eumdem in priorem presentis conventus Sancti Maximini postularunt, modo qui sequitur. Ego frater Johannes Texerii postulo in priorem presentis conventus Sancti Maximini magistrum Anthonium Canolle, priorem (domus) Carpentoratensis. Frater Ignardus Davidis postulat eumdem. Frater Girardus Petri postulat eumdem. Frater Glaudius Falloti postulat eumdem. Frater Petrus Clementis postulat eumdem. Frater Petrus Broquerii postulat eumdem. Frater Johannes Vivonis postulat eumdem. Frater Johannes Arnaudi postulat eumdem. Frater Honoratus Hugoleni postulat eumdem. Frater Anthonius Roque postulat eumdem. Frater Elziarius Tholaire postulat eumdem. Frater Honoratus Garnerii postulat eumdem. Frater Petrus Isnardi postulat eumdem. Cum igitur, serenissime princeps et domine, nulla prioris dicti conventus electio, seu postulatio, absque benigno vestre sacre regie majestatis consensu, secundum indulta apostolica sancte memorie domino Karolo secundo, regi, predecessori vestro, fundatori dicti conventus, per clare memorie dominum Boniffacium, summum pontifficem, concessa, confirmari debeat neque possit; eidem Serenitati humilime supplicatur quathinus dictam electionem, seu postulationem, beni-

gnitate solita admittentes, de altero supradictorum reverendo patri provinciali nostro auctoritatem mandare dignemini quathinus alterum ipsorum, prout vobis placuerit, omnis dilationis semoto dispendio, habeat confirmare. Precipientes nobis omnibus vestris humilibus et devotis oratoribus cuncta eidem vestre Serenitati beneplacita atque grata; quam, cum incrementis felicibus, conservare dignetur Altissimus per tempora longiora. Si quid autem in hoc actu, seu quovis alio, minus sufficienter contra vestre regie majestatis voluntatem, quod absit, deviatum quovis modo fuerit, ex parte omnium supplicatur humiliter eis indulgeri. Et nichilominus fratres omnes suprascripti, tam electores quam postullatores reverendorum magistrorum predictorum, vota sua, voces ac voluntates, tenore presentium, pro viribus, vestre regie majestati deliberationem committere penitus intendunt, simpliciter et de plano. Datum in conventu prefato regio Sancti Maximini, die quarta mensis maii, sub anno domini millesimo CCCC.LXXV^{to}.— Vestre sacre regie majestatis oratores devoti, ac servitores, humilis vicarius et fratres conventus Sancti Maximini, ordinis predicti.

***Arch. des B. du Rh.* B. 17. Reg. *Gallus*. fol. 111.**

XXXVI.

APPROBATION DONNÉE PAR LE ROI RENÉ,

A l'élection d'Elzéar Garnier, prieur de Saint-Maximin.— 13 mai 1475.

In nomine domini nostri Jhesu Christi. Amen. Anno incarnationis ejusdem domini M.CCCC.LXXV, et die XIII mensis maii, sabbati intitulata... Noverint universi et singuli, presentes pariterque futuri, quod, convocato venerabili capitulo ecclesie et conventus regalis beate Marie Magdalene, ville Sancti Maximini, Aquensis diocesis, ordinis Predicatorum, mandato quippe et jussu reverendi magistri Guillelmi Cayssii..., vicarii ejusdem conventus..., in quo fuerunt presentes..., videlicet, dictus domi-

nus Vicarius, magister Johannes Bolleti, in sacra pagina magister, frater Stephanus Luqueti, frater Johannes Texerii, frater Anthonius Grassi, frater Petrus Bogardi, frater Glaudius Falloti, frater Petrus Vincentii, frater Dominicus Verronelli, frater Balthesar Regis, frater Anthonius Roque, frater Elziarius Talloni, frater Petrus Arnulphi, frater Bertrandus de Balma, frater Andreas Driveti, frater Franciscus Stephani, et frater Bartholomeus de Sancto Maurisio. Quibus quidem prenominatis fratribus, ut premittitur, capitulariter convocatis et congregatis, intonuit et exaravit ipse reverendus Vicarius, nupperrime ante hujusmodi convocationem, ex parte sacre regie Jherusalem et Sicilie magestatis quasdam litteras clausas recepisse, presentatas per manus reverendi patris magistri Anthonii Naude, in sacra theologia professoris, prioris provincialis hujus provincie dicti ordinis Predicatorum, et magnificorum et egregiorum virorum dominorum Vivaudi Boniffacii, judicis majoris, et Johannis Matharoni, utriusque juris doctorum, regiorum consiliariorum, et magistrorum rationalium, tenoris et continentie existentes subsequentis. — *A venerables noz tres chers et bien amez orateurs, les Religieux et convent de nostre eglise de Sainct Maximin.* — Ab infra vero, sub sigillo parvo regie majestatis sigillatas, tenoris subscripti. — *De par le Roy. Venerables, tres chers et bien amez. Nous envoions presentement par dela le general de vostre ordre, et les Juge mage et messire Jehan Matharon, nos conseillers et maistres rationaulx de nostre archif, presens porteurs, ausquelz avons chargié vous dire et declarer aucunes choses et ystoire, ainsi qu'ils vous diront. Venerables, tres chers et bien amez, nostre seigneur vous ait en sa saincte garde. Escript en nostre palais d'Aix, le XI*me *jour de may.* — RENÉ. — *Merlin.* — Post quarum quidem litterarum preinsertarum lectionem, organo ejusdem magnifici domini judicis majoris prenominati, fratribus capitulariter convocatis factam, et per eosdem fratres, ut dixerunt, tenore percepto, tandem prefati domini judex major et magistri rationales, commissarii, procedentes ad declarationem exponendorum regie majestatis ex parte, eisdem fratribus..., dixit,

intonuit, et orethenus insinuavit prelibatus magnificus dominus judex major predictam sacram regiam majestatem, post presentationem eidem litteratorie factam, pro parte dictorum fratrum, cujusdam electionis prioris dicti conventus facte in personam reverendi magistri Elziarii Garnerii, dicti ordinis Predicatorum, et postullationis facte in persona reverendi magistri Anthonii Canole, ejusdem ordinis, in sacra pagina professorum, ex tenore indulti apostolici eidem sacre regie majestati et suis retro divis bone memorie principibus et predecessoribus suis concessi, super priore dicti sui regalis conventus ponendo et eligendo, vidende, auctorisande et approbande; *causantibus meritis, scientia et virtutibus dicti magistri Elziarii Garnerii, dicte sacre regie majestati relatis, ipsum eumdem magistrum Elziarium Garnerii velle preferri, constituique et esse priorem dicti conventus ecclesie beate Marie Magdalene; et ipsius supra facte electioni per eosdem fratres inherendo et adherendo, electionem ipsam gratam habuisse et habere, et in eadem electione assensum et consensum suos regios prebuisse et prebere;* propterea eosdem dominos Vicarium et fratres capitulariter convocatos..., de mente et voluntate ejusdem regie majestatis ita processisse et procedere, ac esse, et certos et certifficatos reddens et reddentes. Qui quidem dominus Vicarius, assistentibus sibi dictis fratribus..., fuit solemniter protestatus, cum reverentia et instantia debitis, quod quia, ex appostolico indulto, conventus ipse regalis Sancti Maximini est taliter exemptus ab omni jurisdictione Magistri ordinis et sui provincialis superioris in provincia hujusmodi, aliquibus actibus per eumdem reverendum patrem et magistrum provincialem fiendis preter et contra tenorem dicti apostolici indulti ac privilegia dicti conventus, ex nunc, nomine et pro parte ipsius conventus, non consentit, nec consentire vult ac intendit... Et ipsi domini prior provincialis et regii commissarii protestationem ipsam, viso dicto apostolico indulto, nomine, auctoritate et pro parte Regis, admiserunt; quin ymo..., dictus, inquam, reverendus magister et pater prior provincialis, ejus animum declarando, dixit quod non intendit ullo modo procedere contra mentem ipsorum privilegiorum, et

indultorum apostolicorum eidem conventui concessorum... Igitur, electionem in eumdem magistrum Elziarium Garnerii, priorem dicti conventus Sancti Maximini, factam per dictos fratres, et illius subsequtam approbationem et admissionem per dictam sacram regiam majestatem factam, quatenus opus est, omnibus et melioribus modo, via, jure et forma quibus melius facere potest, et eidem permittitur ex ipso indulto apostolico, regiam voluntatem insequendo, ejus auctoritate ratifficavit, approbavit et confirmavit, dictum magistrum Elziarium Garnerii priorem dicti conventus Sancti Maximini et ecclesie beate Marie Magdalene dicendo, pronuntiando et decernendo; in hiis suam et dicti prioratus provincialis auctoritatem interponens pariter et decretum. Declarans propterea idem reverendus magister prior provincialis se in dicto conventu amplius non processurum, nisi commissione, auctoritate, voluntate et mandato ipsius sacre regie majestatis. Et attenta absentia predicti magistri Elziarii Garnerii, prioris ipsius conventus Sancti Maximini, ego Vivaudus Bonifacii, judex major, dico et attestor premissa omnia fore vera. Ego magister Anthonius Naude, prior provincialis, dico et attestor omnia supradicta stare in veritate. Ita est, magister Anthonius Naude, prior provincialis. Ego Johannes Matharoni, magister rationalis, dico et attestor premissa fore omnia vera. Ego magister Guilhelmus Cayssi, vicarius conventus Sancti Maximini, prescriptis assentior tanquam veris. Ita est, Cayssi. Prescriptas autem insinuationem, vocum et votorum unionem fratrum capitulantium, ac confirmationem patris provincialis...

Arch. des B. du Rh. B. 17. Reg. *Gallus,* fol. 110.

XXXVII.

LETTRES DE LÉONARD DE MANSUETIS,

Général des Dominicains, en faveur d'Elzéar Garnier, prieur de Saint-Maximin. 1475-1480.

Magistro Alziario, socio, confirmatur camera posita in con-

ventu Sancti Maximini, que olim fuit magistri de Ponteves, cum libris et omnibus bonis suis, et dantur sibi ad usum toto tempore vite sue. Et conventus Sancti Maximini et locus de Balma eximuntur ab omni inferiore. Et confirmantur omnia gesta per ipsum magistrum Alziarium in reformatione conventus Aquensis, et in promotionibus ibi factis. *Datum Rome I. decembris (1475).*

Fratribus Sancti Maximini notificatur qualiter ea que gessit magister Elziarius, instituendo suppriorem fratrem Petrum Bonregardi, et instituendo Vicarium conventuum reformatorum magistrum Bartholomeum Raynaudi, et similiter omnes ordinationes quas fecit in dicto conventu, et omnia que gessit in tota provincia, sunt confirmata, et de novo omnia predicta fiunt. Et datur dicto mag. Bartholomeo plenaria potestas super conventu Sancti Maximini, et super conventu de Balma, et super aliis conventibus reformatis, et super conventu Tholoni, et super monasterio sororum de Nazareth, tam in capitibus quam in membris. Et mandatur omnibus, sub pena gravioris culpe, quod obediant, alias possint compelli, etiam auxilio brachii secularis. Et dictus vicariatus duret quamdiu mag^r Alziarius fuerit absens a conventu Sancti Maximini. *Datum Rome, XXVI. decembris (1475).*

Mag^r. Elziarius habuit litteras quod ipse, qui est prior Sancti Maximini, et loci de Balma, et monasterii de Nazareth, et omnes sui officiales, sunt exempti ab omni inferiori, et sub immediata cura R^mi. Magistri, etiamsi littere iste non sint notificate, et confirmantur littere alias super hoc facte. Nullis obstantibus. *Datum Rome, XXVI. decembris (1475).*

Suppriori et fratribus conventus Sancti Maximini scribitur qualiter assignationes facte per mag. Elziarium, et maxime de fratre Durando Chaudoyni in conventu Nemausensi, et de fratre Johanne Gavoti in conventu Vapincensi, confirmantur, et precipitur dictis fratribus... quod per tres dies recedant a conventu Sancti Maximini, et vadant ad conventus suos; alias incarcerentur... *Datum Rome, XXVI. decembris (1475).*

Mag^r. Alziarius Garnerii habet licentiam predicandi ubique,

eligendi et mutandi socium et socios, quorum habeat plenariam curam, cum quibus etiam possit stare extra ordinem. Et potest comedere in camera, et habere distributiones a conventu ubi erit, et retinere elemosimas, ipse et socii, et distribuere sicut voluerit. Et potest ire ad urbem, et ad alia loca, ad placitum, et similiter mittere socios, absque alia speciali licentia. Et potest gerere curam nepotum suorum pupillorum. Et in omni conventu eximitur ab ebdomadaria, a notatione missarum, et a communibus officiis. Et stando extra ordinem, potest officiare ecclesias; et insuper acceptare officia ecclesiastica. Et hec omnia dantur sociis suis qui secum erunt. Nullus inferior impediat... Et confirmantur sibi omnes littere et gratie alias concesse. Et hec omnia sunt in forma plena. *Datum Rome, die XVI. martii (1476).*

Mag^r. Alziarius Garnerii, *socius dilectus R^mi Magistri,* habuit confirmationem Vicariatus provincie Tholosane, et provincie Provincie; et mandatur omnibus quod eum recipiant cum sociis suis benigne, ut socius Magistri R^mi. *Datum Rome, XIX. martii 1476.*

Mag^r. Alziarius mittitur ad conventum Sancti Maximini, ubi est prior, cum plenitudine potestatis. Et declarantur excommunicati qui asserunt se exemptos a juridictione Ordinis. *Datum Rome, XIX. martii (1476).*

In conventu Sancti Maximini confirmatur quedam fundatio et donatio facta per Serenissimum Regem pro studio, cum redditibus trium millium florenorum. *Datum Urbini, die XXIV. aprilis (1477).* Dicta fundatio iterum confirmata fuit, quia prime littere periisse dicuntur. *Datum Rome, die X. januarii 1478 a nativitate.*

Mag^r. Elziarius, socius, qui a Papa est habilitatus ad beneficia, habuit licentiam a Magistro R^mo. acceptandi beneficia hujusmodi, cum suffragiis et gratiis Ordinis. Et potest nichilominus uti bonis et cameris suis. *Datum Rome, X. januarii 1478 a nat.*

Mag^r. Elziarius declaratur quod fuit Vicarius Magistri R^mi. Et ipse habet litteram absolutionis a prioratu Nazareth. Et frater Prior Fabri, prior conventus Arelatensis, fit vicarius conventuum reformatorum. *Datum Rome, I. junii (1478).*.

Magro. Jacobo Raphaelis, conventus Draguiniani, precipitur, sub pena excommunicationis, quod solvat Petro Garnerii, confessori reginali, florenos octo, sicut judicavit magr. Elziarius. Et si senserit se gravatum, magr. Elziarius judicet et faciat justitiam. *Datum Rome, III. junii 1478.*

Magr. Alziarius potest assignare tres ad legendum sententias in sua provincia, pro forma et gradu. *Datum ut supra (III. junii 1478).*

Magr. Alziarius Garnerii, conventus Tholoni, et prior Sancti Maximini, quia habet ibi recipere capitulum provinciale, et quia multa negocia agitantur in curia Regis, et quia provincialis senio et crassitudine pregravatur, fuit factus Vicarius super tota provincia, ad preparandum capitulum, et comparendum in curia Regis, et alibi, pro Ordine... *Datum Rome, prima aprilis (1480).*

Magr. Alziarius prefatus fuit factus vicarius monasterii Sancte Marie de Nazareth, civitatis Aquensis, cum plenaria potestate. *Datum Rome, prima aprilis (1480).*

Arch. gen. Ord. Pred. Reg. I. Leon. de Mansuetis, fol. 170 v°-173 v°. Reg. II, fol. 202.

XXXVIII.

DIPLÔME DE LOUIS XI,

Donnant à Elzéar Garnier le titre de Conseiller du roi. — 21 février 1482.

Loys, par la grace de Dieu roy de France, a tous ceulx qui ces presentes verront, salut. Savoir faisons *que pour la bonne et grant confiance que nous avons de la personne de nostre amé et feal Elzias Garnier, docteur en teologie, prieur de l'eglise monseigneur Sainct Maximin, et de ses sens, suffisance, litterature, vertuz, experience, bonne diligence; iceluy, pour ces causes et autres consideracions a ce nous mouvans, avons retenu et retenons*

par ces presentes en l'estat et office de nostre conseiller, pour nous y servir doresenavant ordinairement, aux honneurs, prerogatives, preeminences, droiz, proufiz et emolumens acoustumés et qui y appartiennent. Et affin qu'il ait mieulx de quoy honnorablement entretenir son estat et office en nostre service, et surporter les fraiz, misez et despenses qu'il luy conviendra pour ce faire et soubstenir, nous luy avons donné et ordonné, donnons et ordonnons, de grace speciel, par ces presentes, la somme de v^c livres tournois, a icelle avoir et prandre doresenavant, chascun an, par maniere de pension, des deniers de noz finances, et par les descharges de nostre receveur general, en ensuivant l'ordre d'icellez. Si donnons en mandement a nostre amé et feal chancelier, ou autre commis a la garde de nostre seel, ordonné en l'absence du grant, que prins et receu dudit Elzias Garnier, prieur de Sainct Maximin, le serment en tel cas acoustumé, iceluy convoque et appelle, ou face convoquer et appeller en noz conseil et affairez, ainsi que noz aultres conseilliers de semblable retenus, toutes et quantes foiz que mestier sera; et d'icelle, ensemble des honneurs, prerogatives, preeminances, droiz, proufiz et emolumens dessusdits, le fasse, seuffre et laisse joyr et user plainement et paisiblement. Mandons en oultre a noz amés et feaulx les generaulx conseilliers par nous ordonnés sur le fait et gouvernement de toutes nos finances, que par nostre dit receveur general, present et avenir, ils facent ledit Elzias Garnier appoincter et paier doresenavant, chascun an, de ladite somme de v^c livres de pension, des deniers de nos dites finances, et par les descharges de nostredit receveur general, aux termes et en la maniere acoustumés, sans y faire aucune interruption ou discontinuation ; car tel est nostre plaisir. En temoing de ce, nous avons fait mettre nostre seel a cesdites presentes. Donné a Thouars, le xxie jour de fevrier, l'an de grace mil IIII^c quatre vings et ung, et de nostre regne le xxie. — Par le Roy, le bailli de Rouen et autres, presens. — Geuffroy.

***Arch. des B. du Rh.* B. 19. *Reg. Corona,* fol. 178 v°.**

XXXIX.

DIPLÔME DE CHARLES VIII,

Nommant le prieur Pierre Bonneti conseiller au grand conseil royal de Provence. — 29 juin 1491.

CHARLES, par la grace de Dieu roy de France, conte de Prouvence, de Forcalquier et terres adjacentes, a tous ceulx qui ces presentes verront, Salut. SAVOIR FAISONS *que, par consideration des bons et agreables services que nostre amé et feal maistre Pierre Bonnet, docteur en theologie, prieur du convent royal de Saint Maximin et de la Baulme, audit pais de Prouvence, nous a faiz en pleusieurs manieres, et fait chascun jour, voulans pour ce l'eslever en estat honnorable consernant la dignité de sa personne, et que joysse de l'office de conseillier en nostre grant conseil royal de Prouvence residant à Aix,* ainsi que ses predecesseurs, qui par cy devant ont esté prieurs dudit prieuré, en ont joy et usé ; confians des grans vertus, sapience, experience, loyauté et bonne diligence que sont en sa personne, icellui, par ces causes, et en l'entretenant en semblable estat que cesdits predecesseurs, avons retenu et retenons par ces presentes nostre conseillier en nostre dit conseil de Prouvence residant a Aix, pour doresenavant nous y servir, y assister avec nous autres conseillers, et joyr et user des honneurs, prerogatives, preeminances, franchises, libertés, gaiges ou pensions, droiz, prouffiz et emolumans qui y appartiennent, tout ainsi que ses predecesseurs, prieurs de (Saint-Maximin et de) la Baulme, en ont par cy devant joy et usé d'ancienneté. Si donnons en mandement, par cesdites presentes, a noz amez et feaulx les grant senechal de Prouvence, grant president et gens de nostre dit conseil, resident audit lieu d'Aix, que, prins et receu dudit maistre Pierre Bonnet le serment en tel cas acoustumé, icellui reçoivent, mettent et instituent en possession et saisine de nostredit conseillier audit conseil, et d'icellui,

ensemble des honneurs, prerogatives, preeminances, franchises, libertés, gaiges ou pension, droiz, prouffiz et emolumens dessusdits, le facent, seuffrent et laissent joyr et user plainement et paisiblement, et a lui obeir et entendre de tous ceulx et ainsi qu'il appartiendra, es choses touchans et regardans ledit office et estat. Mandons en oultre a nostre amé et feal conseillier maistre Guilhaume Briconnet, general ayant la charge et administration de toutez nos finanses, tant ordinaires que extraordinaires, en nostredit pais de Prouvence, que par nostredit tresorier d'icellui pays, ou aultre qu'il appartiendra, il face payer a icellui Bonnet lesdits gaiges audit office appartenans, doresenavant par chascun an, aux termes et en la maniere acoustumez ; et par rapportant ces dites presentes ou vidimus d'icelles, fait soubs seel royal ou prouvensal, pour une foiz, et quittance sur ce souffisant seulement, nous voulons lesdits gaiges et pension, ou ce que payé et baillé lui aura esté a ceste cause, estre allouez es comptes et rebattus de la recepte dudit tresorier, ou d'autre qui payez les aura, par nous amez et feaulx les maistres rationnaulx, rationnaulx et archivayres de nostre chambre et archif d'Aix, ausquelx nous mandons ainsi le faire sans difficulté. En tesmoing de ce, nous avons fet mettre nostre seel a cesdites presentes. Donné aux Montilz, le xxix[e] jour de jung, l'an de grace mil cccc.lxxx et unze, et de nostre regne le viii[e]. — Par le Roy, conte de Prouvence, les sires de Myolans, de Grimault, senechal de Beaucayre, et aultres, presens. — Bohier.

Arch. des B. du Rh. B. 21. Reg. *Pellicanus*, fol. 271 v°.

XL.

RÈGLEMENTS DE PIERRE BONNETI,

Pour la réforme du couvent de St-Maximin. — 22 novembre 1497.

He sunt ordinationes facte et institute per me fratrem Petrum

Boneti, sacre theologie professorem, et in presenti conventu regali Sancti Maximini priorem, quas volo et ordino ab omnibus fratribus presentis conventus, cujuscunque gradus vel conditionis extiterint, inviolabiliter observari. — In primis, quia spiritualia, et ea maxime que ad divinum cultum ordinantur, aliis sunt preferenda, ordino et statuo ut divinum officium, diurnum pariter et nocturnum, bene et devote dicatur, more ordinis, breviter et subcincte, cum pausa in medio versus, juxta formam in constitutionibus annotatam, et cum perpetuo sillentio. Nullusque sit a prefatò officio exhemptus, nisi prior, aut ejus locum tenens, cum talibus dispensaverit, infirmis exceptis. Approbando ordinationes factas in diversis capitulis generalibus et provincialibus contra fratres non surgentes ad Matutinas, et penam in ipsis ordinationibus expressam. Ordinando quod fratres deinceps veniant et intrent chorum in principio officii ; et si quis non fuerit in primo *Gloria patri* majoris officii, faciat veniam suam in choro, more ordinis, retro pulpitrum, aut excuset se priori, si presens fuerit, et, in ejus absentia, suo locumtenenti. Addiciens quod nullus presumat exire chorum , nisi fuerit vocatus per Sacristam, causa dicendi missam, vel ad aliquod officium faciendum ; nisi de licentia presidentis ibidem existentis. — Preterea, quia secundum nostrarum constitutionum tenorem, uniformitatem in habitu tenere debemus, statuo et ordino ut omnes fratres presentis conventus *uniformitatem in birretis servent*, nec alterius coloris defferant quam nigri, eosque in choro copertos teneant, more religiosorum ; tunicasque clausas ante et retro portent et habeant. Si quis autem contraveniat, et huic ordinationi non pareat, gravi punitione punietur. Nollens tamen reverendos magistros et graduatos huic ordinationi comprehendi. — Item, honestati domus cupiens providere, statuo et ordino, ac inviolabiliter observari volo *quod a cetero nullus*, cujuscunque gradus aut conditionis existat, *audeat seu presumat deambulare per ecclesiam, tempore divini officii*, aut tempore quo in dicta ecclesia predicabitur ; cum ex hoc seculares plurimum scandalixentur.— Item, quia sepenumero, propter butinum, multe sollent oriri

questiones, interdum de missis privatis et interdum de divisione ejusdem butini, illis obviare cupiens, *statuo et ordino quod butinum, secundum ordinata per diversa capitula, semper continuetur ;* mandans quod omnes misse private et votive ponantur in butino, et illud dividatur inter fratres, singulis mensibus, prout consuetum est. Quo vero ad magnas missas que dicentur per fratres, illas declaro pertinere communitati, voloque quod procurator peccunias proveniendas ex eisdem recipiat. Addiciens quod reverendi magistri et graduati a cetero notabuntur a tercia missa inferius, prout consuetum erat in presenti conventu fieri, et fit in omnibus conventibus ordinis, servando cursum missarum. Etiam notabuntur prefati rev. magistri et graduati ad officia, in festis duplicibus et totis duplicibus, quemadmodum consuetum fuit antiquitus, et in singulis conventibus ordinis ita servatur. — Item, cum multe insollencie comittantur in dormitorio, tam de die quam de nocte, eo maxime *quia fratres discurrunt per cameras, contubernia faciendo, interdum usque mediam noctem vigillando, clamores multociens emittendo, et interdum ludendo ludis prohibitis*, multasque alias dissolutiones faciendo ; que sunt contra formam nostrarum constitutionum, et maxime contra capitulum de sillencio, ubi habetur quod fratres sillencium teneant in choro, reffectorio, capitulo, claustro et dormitorio. *Cujus pretextu, vix surgunt in matutinis, nec dant operam studio.* Hujusmodi abus(ib)us obviare cupiens, volo et ordino ut deinceps nullus cameram alterius intrare presumat, nisi causa visitandi infirmos, aut cum magistris lectoribus causa conferendi de eorum lectione. Precipiens eisdem fratribus ut circa sequellam lectionum sint dilligentes, et in omnibus lectionibus intersint ; cum comminatione quod quicunque, post hujusmodi ordinationem et trinam monitionem, contumax fuerit, expellentur a conventu et alibi assignabuntur, et de aliis religiosis, loco ipsorum, providebitur. *Nollo tamen quod rev. magistri et graduati sub hujusmodi ordinatione comprehendantur,* eosdem exhortando quod unusquisque, pro suo servicio, suo socio contentetur, alios religiosos et juvenes studentes non occupando. — Item, *cum in cameris et*

dormitorio fiant plures excessus in comedendo et bibendo, et invitando in prandio et sena seculares, interdumque usque mediam noctem, tam parentes quam alios amicos, in magnam jacturam bonorum communium; statuo et ordino ut a cetero et deinceps nullus, cujuscunque gradus vel conditionis existat, audeat seu presumat in cameris seu in dormitorio comedere, sed omnes in mensa et reffectorio communi unanimiter, infirmis dumtaxat exceptis. Ordinando quod procurator, a festo nativitatis Domini proxime futuro in anthea, debeat qualibet die exponere, pro pitancia conventus, unum florenum, in diebus vero solennibus duplicando, prout alias extitit ordinatum. Injungendo ne quis presumat aliquos seculares, cujuscunque status sint, invitare in eorum cameris, causa bibendi aut comedendi, sine licencia prioris aut sui locumtenentis; insequendo ordinationem factam in capitulo generali Ferrarie celebrato, in quo expresse talia fuerunt ordinata. Precipiendo omnibus fratribus presentis conventus, in virtute sancte obedientie, necnon sub pena excommunicationis, trina canonica monitione premissa, ut predictam ordinationem de non introducendo seculares, et in cameris comedendo, inviolabiliter observent. — Item, cum per multa capitula, tam generalia quam provincialia, fuerit ordinatum ut *fratres nostri ordinis a carnibus in die mercuri abstineant,* tam infra conventum quam extra, *cum non sit honestum quod viri religiosi comedant carnes, ubi nobiles, burgenses et mercatores, et alii multi abstinent.* Ideo, dictam ordinationem insequendo, statuo et ordino, atque precipio in virtute Spiritus Sancti et sancte obediencie, ut a cetero nullus frater hujus conventus, cujuscunque gradus vel condicionis existat, sit ausus comedere carnes, dicta die mercuri, infra conventum neque in villa. Addiciens quod jejunia ecclesie et jejunia ordinis, maxime jejunium veneris, observentur; nisi fuerint infirmi et debiles, vel alias per priorem aut ejus locumtenentem cum eis fuerit dispensatum. Nollo tamen quod meus locumtenens super hujusmodi sit facilis ad dispensandum, nisi subsit necessitas. — Item, cum multi excessus comittantur, tam de die quam de nocte, per fratres, *discurrendo per villam sine*

licencia, capa et socio, et jam deventum est quod pocius fratres seculares dicuntur quam religiosi; eo maxime quod in plateis publicis, viis, et super tabulis mercatorum, estant cum secularibus, aliquando per horam, et interdum ultra, respicientes ludos, et lusores ad cartas et alios ludos ludentes; quod multum differt a vera vocatione et honestate religionis. Et cum status cujuslibet religiosi sit in claustro esse, ideo precipio et mando omnibus fratribus, cujuscunque gradus et condicionis existant, quod a cetero nullus audeat seu presumat exire conventum, neque limites conventus, sine licencia expresse petita ipsi priori aut ejus locumtenenti, et eadem obtenta, capa, et socio sibi depputato. Et hoc, sub pena expulsionis a presentu conventu, postquam bis aut ter, post hujusmodi ordinationem, moniti fuerint. — Item, quia clausura est de honestate cujuslibet monasterii, cum plura scandala et dampna possent fieri ex apertura portarum, statuo et ordino quod clausura portarum observetur, juxta ordinata per Generales et Provinciales nostri ordinis in diversis capitulis, tam generalibus quam provincialibus; ita quod porterius ponatur ad claudendum et custodiendum portas, et ad apperiendum tempore opportuno. Mandans meo locumtenenti quod circa portam et clausuram dormitorii evigilet; ita quod *hora octava in yeme, et hora nona in state, de nocte, prius pulsato pro sillencio, portas dormitorii claudat.* Addiciendo quod porta dormitorii que est versus organa et ecclesiam, finita magna missa, inmediate claudatur cum clave, et non aperiatur nisi de cero, tempore quo sacrista habet ecclesiam claudere. — Item, statuo et ordino quod *procurator faciat provisionem de lignis in dormitorio;* et vicarius ordinet unum juvenem qui, *dictis matutinis, aponat ibidem ignem, ut fratres possint calefieri. Etiam de die, fiat ibi ignis.* Precipiendo omnibus fratribus ne a cetero aliquis sit ausus coquinam intrare, nisi habuerit officium commune; et hoc sub pena. — Item, cum Sacrista habeat officium satis onerosum, et bono modo non valeat dictum officium solus excercere sine coadjutore; volens dicto officio providere, volo et ordino quod frater Matheus Loge sit subsacrista; precipiendo eidem, in meritum obediencie,

ut comissa sibi et injuncta per Sacristam adinpleat, sitque sollicitus, in singulis missis privatis, in recipiendo oblationes, tam peccunie quam panis et vini. Et si aliqui fratres, cujuscunque gradus vel conditionis existant, recipiant aut recipere vellint dictas oblationes, michi aut meo locumtenenti revellare habeat. Ordinando eciam quod in granerio sint due claves, quarum unam habeat frater Dominicus Vernelli, granaterius, et aliam habeat frater Adrianus Bruni; injungendo eisdem, in meritum obediencie, ut dictum officium cum bona diligencia exerceant. Nollo tamen quod propter dicta officia excusent se ab officio divino. — Item, cum de infirmis curandum sit, et erga illos diligencia habenda, statuo et ordino quod a cetero, quando procurator voluerit accipere peccunias buistiarum ecclesie, quod quarta pars illarum peccuniarum tradatur et expediatur infirmario, pro emendo pictanciam et alia neccessaria ipsis infirmis; qui quidem infirmarius habeat curam ipsorum infirmorum. Statuendo et ordinando quod locus qui alias fuit depputatus pro infirmis, videlicet, domus domini Johannis Morenoni, cum domo fratris Isnardi Davidis quondam, sint applicate ad dictum officium, et ad presens illas applico, cum locus ille sit magis utilis pro infirmis. *Nam honestiori modo visitabuntur ibi per parentes et amicos, viros et mulieres dicte ville, quam in dormitorio.* Etiam, cum interdum currant infirmitates contagiose, et ne infirmitas contagiosa plurimos perdat, ut in nostra regula habetur, melius sunt extra dormitorium quam infra. Ordinans ibidem fieri reparationes neccessarias, quam cicius fieri poterit. Et quia multa utensilia alias fuerant ordinata pro servicio infirmorum, que quasi totaliter fuerunt distracta et capta, ideo mando et precipio omnibus fratribus, cujuscunque gradus vel condicionis existant, sub pena excommunicationis, trina canonica monitione premissa, quam fero in hiis scriptis, sedens pro tribunali, et quam ipso facto incurrant oppositum facientes, ut si qui sint qui habeant aliqua utencilia ipsi infirmarie alias applicata, aut aliqua inventaria, aut sciverint aliquos de dictis bonis et utencilibus aliquid habere, habentes restituant et scientes revellent, infra tres dies a noticia

presencium, fratri Bertrando de Balma, vicario meo, ut tandem ipsis infirmis comode provideatur. Quod si non fecerint, quod Deus advertat, ipso facto, ut superius dixi, sint excommunicati, quos ex nunc pro tunc, et e contra, excommunicatos declaro, elapsis tribus diebus; michi soli absolutionem reservando. Et pro hujusmodi officio excercendo, constituo fratrem Dominicum Vernelli, qui eciam fuit ultimus infirmarius. — Item, pro bono communitatis, statuo et ordino quod a cetero peccunie quoruncunque reddituum per procuratorem et quoscunque alios recipiende, ponantur in depposito, solutis prius debitis; et quod exinde non extrahantur, nisi de licencia et consensu prioris aut ejus locumtenentis. Et tales peccunie expedientur procuratori, ad solvendum quibus opportebit. Ordinando eciam quod libri exitus peccuniarum depposití videantur et palpentur; et quod peccunie que fuerint perdite, aut alias male administrate, per deppositarios qui pro tempore erant restituantur. Que summa est florenorum tricentum, vel circa. — Item, quia equum est et congruum ut qui circa divinum officium laborant, mercedem suscipiant aliquam pro eorum subsidio, et ut fervencius et devocius Deo et ecclesie servire studeant, declaro per presentes omnibus rev. magistris, patribus et fratribus presentis conventus quod, in die nativitatis Domini proxime futuro, intrabunt vestiaria, et exsolventur de sex in sex mensibus. Et pro hujusmodi solutionibus fiendis, recipientur de peccuniis communitatis usque ad summam florenorum ducentorum, aut ducentorum quinquaginta. Et fiet, ante festum predictum nativitatis Domini, quedam lista sive descriptio, in qua *taxabuntur vestiaria, secundum gradus et personas,* habere debentibus dicta vestiaria. Notifficando quod, dum primo conventus ad pinguiorem fortunam, Christo auxiliante, pervenerit, de anno in annum poterunt augmentari predicta vestiaria. — Fuerunt lecte et publicate predescripte ordinationes in conventu regali Sancti Maximini, et in capitulo ejusdem, presentibus omnibus reverendis magistris, graduatis, patribus et fratribus prefati conventus. Quas volo et statuo, ac pariter ordino ego prefatus prior inviolabiliter obser-

vari. Injungendo locumtenenti meo, qui nunc est aut pro tempore futuro fuerit, quod de tribus in tribus mensibus semel tantum, in capitulo vel in mensa, legi faciat easdem prefatas ordinationes, ne, pretextu ignorancie, ad ea servanda se quis excusare possit. Datum in prefato nostro conventu, sub sigillo nostri prefati officii prioratus, die XXII[da] mensis novembris, anno domini millesimo CCCC.XCVII.

Arch. des B. du Rh. Reg. B. 1487. fol. 205-208. Orig., avec le sceau du couvent.

Sigillum. COnVEnTVS. SanCtI. MaXIMinI. ORDinIS. FRATRVm. PreDICATORum.

XLI.

PREMIER DIPLÔME DE LOUIS XII,

Ordonnant à ses officiers de prêter main forte au Général, Vincent Bandelli, pour réformer les religieux de Saint-Maximin. — 26 novembre 1503.

Loys, par la grace de Dieu roy de France, conte de Provence, Forcalquier et terres adjacentes, a noz amez et feaulx conseillers les gens de nostre court de parlement en Provence, et a tous noz autres justiciers et officiers dudict pays, Salut et dilection. SÇAVOIR VOUS FAISONS que nous, considerans que le convent des Freres Prescheurs de Sainct Maximin de la Baulme, ouquel repose le corps de madame saincte Marie Magdalene, est de fondation royal, desirans par ce qu'il soit reformé, et que oudict convent, et aussi en l'estude fondée en icelluy par noz predecesseurs contes de Provence, la vraye reigle dudict ordre soit gardée et observée selon les constitucions, comme de present elle est en plusieurs autres convens de nostre royaume journellement refformez, afin d'obvier et oster plusieurs abbuz et dissolucions faiz oudict convent. Pour ces causes, et *comme avons esté advertiz que nostre amé et feal frere Vincent Bandel, docteur en theologie et general dudict ordre, est en la province dudict pays*

de Provence, pour le faict des dictes refformacions, et pour autres consideracions a ce nous mouvans; *Voulons et vous mandons que audict Bandel, en faisant ladicte refformacion, et aussi absolucion et depposicion du prieur* et autres officiers, selon ladicte reigle et constitucions d'icelluy ordre, audicion de comptes, constraincte pour rendre compte et reliqua de l'administracion dudict convent, *vous donnez tout ayde, confort et faveur, ensemble toutes provisions et main forte que besoing et requis sera;* en maniere que ladicte refformacion soit faicte, et sorte plain et entier effect, et aussi soit entretenue dores en avant selon ladicte reigle. En prenant en nostre sauvegarde especial tous les religieulx refformez dudict convent, leurs maisons et biens, serviteurs, famillers, et entremetteurs de leurs besongnes et affaires quelconques. Car ainsi nous plaist il estre fait. Non obstant opposicions ou appellacions quelconques, lettres et mandemens a ce contraires. Mandons et comandons a tous nos dicts justiciers, officiers et subgectz que a l'execucion de ces presentes ilz obbeissent et entendent diligemment, prestent, donnent conseil, confort, aide, et prisons, si mestier est, et requis en sont. Donné a Lyon, le XXVIe jour de novembre, l'an de grace mil cinq cens et trois, et de nostre regne le sixiesme. — Par le Roy, conte de Prouvence, maistre Charles de Pontoz, maistre des requestes ordinaires de l'ostel, et autres, presens. — Jarriel.

Arch. du couv. de S. Max. Arm. 1, Sac 4, Orig.

XLII.

ORDONNANCES DU GÉNÉRAL DES DOMINICAINS,

Pour la réforme du couvent de Saint-Maximin. — 1503-1505.

Frater Bertrandus Cortesii, et fr. Burgundus Claperii, et fr. Beltrandus de Baulma, et fr. Anthonius Grassi, et fr. Gabriel Bruni, et fr. Jacobus Sira, et fr. Anthonius Henrigheti, et fr.

Dominicus Vernelli, et fr. Hillarius Ruffi, et fr. Raimundus Ferrandi, et omnes alii fratres extranei, actu existentes in conventu Sancti Maximini, assignantur extra eumdem conventum; et omnes alii fratres dicti conventus nativi, actu in ipso assignati, in eodem confirmantur. *Die 9 decembris (1503), in Monte Pesulano.*

Reverendus MAGISTER HYVO, *confessor christianissime regine,* et magister Honoratus de Briga, et magister Petrus Mollis, et frater Andreas Reinaldi, et fr. Johannes Dodi, et fr. Anthonius Sibillie, et fr. Laurentius Chiaci, et fr. Henricus Caspar, et fr. Jacobus Miconis, et fr. Jacobus de Orangiis, et fr. Marcus Lombardi, et fr. Dominicus Baudici, assignantur in conventu Sancti Maximini, et precipitur eis omnibus..., ut, cum fuerint requisiti, infra spatium trium dierum ab harum exhibitione, recto tramite, versus dictum conventum iter arripiant. Et nullus inferior Reverendissimo potest eos ab hoc impedire. *Die eadem, ibidem.*

Magister Stephanus Doloni instituitur vicarius conventus S. Max., cum auctoritate omnimoda, usque ad adventum Reverendissimi in prefato conventu. *Die eadem, ibid.*

Magister Petrus Boneti absolvitur a prioratu conventus Sancti Maximini, et assignatur extra ipsum conventum. *Die 11 ejusdem, ibid.*

Mag. Bertrandus Jacobi, conventus Montispesulani, assignatur in Sancto Maximino, et precipitur ei ut, infra tres dies ab harum noticia, recedat a conventu Montispesulani et ejus terminis. *Die 12 dec. ibid.*

Quatuor fratres ex Sancto Maximino assignantur in Montepesulano. *Die 1ª januarii (1504), in Sancto Maximino.*

Magister Stephanus Doloni assignatur in conventu Sancti Maximini in lectorem, et restituitur filiationi, cum omnibus gratiis. *Die eadem, ibid.*

Sacriste Sancti Maximini datur licentia visitare suos, et stare in domibus eorum. *Die eadem, ibid.*

Camera magistri Petri Boneti in conventu Grassensi sic dis-

ponitur, ut aula anterior sit pro comestione, granarium pro conventu, una camera pro hospitibus, alia pro quodam sene, ita tamen quod omnia utensilia reddantur sibi. *Die 10 januarii, Aquis.*

Remoti supra a conventu Sancti Maximini iterum removentur, et assignati reassignantur. *Die 20 jan., Lugduni.*

Intimatur vocalibus conventus S. Maximini quod, *si elegerint* MAGISTRUM IVONEM, *confessorem christianissime regine, erit gratum regie majestati.* Et facta electione, si sciverint Reverendissimum esse extra regnum Francie, mittant electionem rev. provinciali, qui eam confirmabit. Et ad cautelam, absolvuntur ab omnibus censuris et penis. *Die 22 jan., ibid.*

Magister Johannes de Genas, prior conventus Lugdunensis, instituitur commissarius Reverendissimi in conventu S. Max., et in electione futuri prioris habere debet vocem, tamquam vicarius Reverendissimi in dicto conventu, cum auctoritate plenissima, etiam super locum Sancte Balme. Et precipitur omnibus fratribus eorumdem locorum... ut ei in omnibus obediant, et sub pena absolutionis ab officiis suis, officialibus, aliis fratribus sub pena gravioris culpe, ut huic dispositioni quolibet modo non se opponant. Et si qua essent asportata extra conventum, potest reducere, et prohibere ne qua asportentur, invocato auxilio brachii secularis, quatenus opus fuerit. Et revocantur quecumque littere et gratie, in genere vel specie, cuicumque concesse per Reverendissimum vel ejus predecessores, quoad illas clansulas que presentibus contrariantur. *Die 23 jan., ibid.*

Mag. Honoratus de Briga instituitur vicarius conventus S. Max., cum auctoritate quam habent suppriores in ordine, mortuo vel amoto priore; in absentia tamen prefati magistri Johannis de Genas, commissarii, ut prefertur, nisi in quantum eidem visum fuerit. Et precipitur omnibus fratribus ibidem assignatis ut ei obediant. *Die 23 jan., ibid.*

Ordinatur in conventu Sancti Maximini ut servetur numerus lectorum, lectionum, studentium, ordinatus a fundatoribus, et quod provideatur eis... In festis non celebribus, media pars stu-

dentium, alternatim, dispensata est a toto officio chori, excepto matutino B. Virginis, missa et completorio. Et studentes qui assignantur ex aliis conventibus veniant induti. Et quod Lectores et alii qui habent stipendia a conventu, predicent in quadragesima, et aliis diebus, pro utilitate conventus. *Die 28 dec. (1404) in S. Maximino.*

Magister Ivo Nanetensis instituitur sindicus conventus S. Max., cum omni auctoritate. *Eadem die, ibid.*

Conventus Sancti Maximini et locus de Sancta Balma eximuntur a jurisdictione provincialis provincie Provincie, et annectuntur congregationi provincie Francie. *Die 21 febr. (1505), Mediolani.*

Prior Arelatensis, scilicet frater Silvanus, in theologia magister, et frater Jacobus Desiderii constituuntur commissarii Reverendissimi Magistri ordinis, cum plena auctoritate visitandi conventum S. Maximini, super furto commisso in dicto conventu. *Die eadem, ibid.*

Magistro Ivoni, confessori regine, priori Sancti Maximini, datur omnis auctoritas, per se vel per alium, in prefatum conventum. Mag. Stephano Doloni datur licentia eundi ad curiam regiam et placitandi. *Die 21 dec. (1505), Rome.*

Arch. gen. Ord. Prœd. Reg. I Vincentii Bandelli. ff. 243 v°— 246 v°. Reg. II. fol. 159 v°.

XLIII.

APPEL DE PIERRE BONNETI,

Contre l'acte du Général qui l'avait déposé de sa charge.— 5 février 1504.

Cujus quidem appellationis cedule de verbo ad verbum tenor sequitur, prout ecce.— Licet, secundum instituta constitutionesque sacri ordinis Predicatorum, libera sit data facultas Generali

dicti ordinis priores conventuum ordinis predicti deponere et absolvere, et alias disponere super dictis prioratibus, prout dicto Generali videbitur expedire, tamen, quia prior et conventus ordinis Predicatorum ville Sancti Maximini sunt, sancte sedis apostolice gratia, a dicti Generalis juridictione exempti, officiumque priorum dicti conventus, tam ex fundatione dicti conventus auctoritate apostolica roborata, quam ex indultis summorum pontificum, sit perpetuum, non sitque super dicto prioratus officio providendum, nisi priore vita functo, vel per eum majoris dignitatis officio assumpto; sitque etiam rev. patri fratri Petro Boneti, dicti ordinis, sacre theologie professori, moderno priori dicti prioratus, per sanctam sedem apostolicam de dicto prioratus officio, ad vitam ejus, provisum; aliaque varia privilegia dictis priori et conventui, tam per summos pontifices quam per dominos reges, comites Provincie et Forcalquerii, concessa, que inviolabiliter sunt observanda, et perpetuis viribus subsistunt et subsistere debent, nisi specialiter per summum pontificem illis esset derogatum, et eorum de verbo ad verbum esset in derogatoriis litteris tenor insertus. Sunt et predicta privilegia, per dominos reges comites Provincie dictis priori et conventui concessa, irrevocabilia, et de jure per christianissimum dominum nostrum regem revocari non possunt nec debent. Verumtamen reverendus pater frater Vincentius Bandelli, licet esset de predictis privilegiis certificatus, in grande damnum, prejudicium et interesse dicti prioris et conventus predicti, vello levato, causa legitima non subsistente, nulla cognitione cause precedente, parte non vocata et indefensa, contra jus divinum, naturale, canonicum et civile, procedere voluit et de facto processit ad depositionem absolutionemque dicti Boneti, prioris moderni dicti conventus, eumdem priorem sic suo perpetuo officio, et beneficio gratia sedis apostolice eidem specialiter concesso, indebite, inciviliter et injuste privando et absolvendo, contra omnem juris dispositionem, et, quod deterius est, parte non vocata, quam partis vocationem princeps tollere non potest. Propterea, procurator dicti prioris, sentiens dictum dominum Petrum Boneti, priorem dicti

conventus Sancti Maximini, oppressum et gravatum, coram vobis rev. patre domino officiali Aquensi, tanquam coram auctentica persona, non valens dicti reverendi Generalis gravantis, propter ejus absentiam, quia non est in hac patria Provincie, presentiam habere, provocat et appellat, in his scriptis, ad sanctissimum dominum nostrum Papam, sanctam sedem apostolicam, christianissimum dominum nostrum Francorum regem, et ad ejus supremam parlamenti Provincie curiam, et ad eum et eos, ad quem vel quos, tam de jure, stillo vel consuetudine, appellationem hujusmodi devolvere potest. Petens instanter testimoniales apostolos sibi concedi.

Arch. du couv de S. Maximin.

XLIV.

LETTRES DE VINCENT BANDELLI,

Confirmant l'élection de Yves Mahyeuc au prieuré de Saint-Maximin. — 12 février (?) 1504.

In Dei Filio sibi dilecto reverendo sacre pagine doctori fratri Ivoni de Britannia, ordinis Predicatorum, frater Vincentius Bandellus de Castronovo, ejusdem facultatis professor, ac totius prefati ordinis generalis Magister et servus, Salutem et spiritum obedientie salutaris. Cum christianissimus rex noster, ob devotionem plurimam ad divam Mariam Magdalenam et ad ordinem nostrum, disposuisset ut conventus suus regalis, in quo sacre quiescunt reliquie ipsius sancte Penitentis, refformaretur, placuit sue Majestati ut de capite sano et reformato provideretur, quod in alia membra vite regularis sensum et morum influeret. Quapropter, cum commisisset michi ut antiquum priorem magistrum Petrum Boneti a prioratu memorati conventus absolverem, et hec cum fecissem, sua Celsitudo declaravit quod gratum haberet, idque optabat, ut fratres prefati conventus elligerent vos in prio-

rem suum; quoniam Rex ipse optime novit personam vestram qua nec sit *(lire* quante sit) sanctimonie, zeli, prudentie, doctrine ac fidelitatis erga suam Majestatem; licentiamque michi tribuit talem electionem confirmare, sicut requirit privilegium regium circa institutionem prioris illius domus. Cum igitur rite et canonice, juxta votum regium, fueritis electus in priorem prefati conventus Sancti Maximini, et cum plene noverim ad hoc officium vestram idoneitatem, presertim ad introducendam ibi vite regularis formam, et manutenendam reformationis normam; auctoritate officii mei et accedente consensu regis nostri christianissimi, *te magistrum Ivonem memoratum confirmavi, institui et dedi priorem conventus sancte Marie Magdalene in Sancto Maximino, et per presentes confirmo, instituo, do, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, Amen.* Cum plena auctoritate monendi, corrigendi, precipiendi, ligandi, solvendi, penitentiandi, incarcerandi, remittendi, dispensandi, officiales instituendi ac destituendi, quotiens opus fuerit; fratres discolos de conventu ejiciendi, alios ydoneos, loco eorum, recipiendi et assignandi; providendi de studentibus et lectoribus, secundum formam fundationis collegii; fratres pro sacris ordinibus et pro audientia confessionum, de patrum consilio, presentandi; et faciendi omnia alia que possunt facere priores in ordine nostro, presertim in memorato conventu, rite instituti, precipue instituendi vestros commissarios, et illuc mittendi cum auctoritate quam dare volueritis. Specialiter autem auctoritatem vobis tribuo super loco Sancte Balme, et super fratres, ut vicarium possitis instituere et destituere, quotiens judicabitis, et fratres illuc mittere et inde removere, et omnem aliam jurisdictionem ibi et super eos fratres exercendi, sicut in conventu ubi estis institutus prior, confero. Ut autem hoc grave onus merito obedientie reddatur levius, precipio vobis, in virtute Spiritus Sancti et sancte obedientie, quathenus, infra spatium unius diei naturalis, prefatum prioratus officium acceptetis, et secundum gratiam a Domino vobis collatam exequamini. Mandans nichillominus omnibus fratribus memorati conventus Sancti Maximini et loci Sancte Balme, ut vobis tanquam suo legitimo

priori et pastori in omnibus obediant, et debitam reverentiam exibeant. Non obstantibus quibuscumque in contrarium facientibus. In quorum fidem, presentes fieri feci, et sigilli officii mei impressione muniri. Datum Narbone, die XII[a] augusti millesimo quingentesimo quarto, A. N. anno tertio. *(Pour la date, voir ci-dessus, page* 219.*)*

Arch. des B. du Rh. B. 24. Reg. *Draconis*, fol. 206.

XLV.

SECOND DIPLÔME DE LOUIS XII,

Mettant sous sa sauve-garde spéciale les religieux réformés de Saint-Maximin. — 19 avril 1504.

Loys, par la grace de Dieu roy de France, conte de Prouvence, Forcalquier et terres adjacentes, a noz amez et feaulx conseillers, les gens de nostre court de parlement en Prouvence, et a tous noz autres justiciers oudit pays, ou a leurs lieux tenans, et a chascun d'eulx, comme a luy appartiendra, Salut et dilection. Comme nous, considerans que le convent des Frères Prescheurs de Saint-Maximin... *(comme au n° XLI)*... en plusieurs autres convens de nostre royaume puis nagueres refformez, affin de obvier et oster les abuz et dissolutions qui y ont estez faiz et commys par cy devant; par quoy ayons escript a nostre cher et bien amé Vincent Bandel, docteur en theologie, et Géneral dudit ordre, visiter et refformer ledit convent, tant en chef que en membres; ce que a nostre requeste il ait fait, et pour ce desmis et deposé le prieur dudit convent qui lors estoit, et institué son vicayre general en icelluy nostre cher et bien amé Jehan de Genas, docteur en theologie, et prieur du convent de Lion, pour faire entretenir et garder ladite refformation, et aussi l'election qui se doit fayre du prieur futur dudit convent; lesquelles refformation, institution de vicayre general, et choses dessus dites,

aient esté depuis approuvées et confirmées par nostre tres cher et amé cousin le cardinal d'Amboyse, legat en France, noz royaume, païs, terres et seigneuries, en derrogeant a tous privileges et libertez a ce contraires. Toutes voyes, nous avons esté advertiz, que aucuns religieux, ennemys de ladite refformation, se sont efforcez et efforcent journellement icelle empescher, soubz couleur d'aucuns privileges qu'ilz disent avoir audit convent, donnez a iceluy par aucuns de nos dits predecesseurs, mesmement par le feu roy René, que Dieu absoille, par lesquelz est dit que le prieur dudit convent ne peut estre deposé, s'il n'est assumpt et pourveu a plus grant dignité, et aussi que nul ne peut estre esleu prieur en icelui, s'il n'est natif de nostre conté de Prouvence; lesquelles choses sont totallement contre la reigle et vie reguliere dudit ordre et refformation, soubz laquelle ledit convent est fondé. Savoir vous faisons que nous, desirans ladite refformation et vraye reigle dudit ordre estre entretenuz, gardez et observez audit convent; pour ces causes et autres a ce nous mouvans, vous mandons, et a chascun de vous sur ce requis, en commettant, si mestier est, que audit Bandel, general dessus dit, ses depputez et commys en ceste partie, vous faittes obeyr, tenyr la main, donner tout ayde, confort et faveur que besoing sera, de tous ceulx et ainsi qu'il appartiendra, a ce que ladite refformation soit parfaite et sorte son plein et entier effect, et soit dores en avant gardée, entretenue et observée oudit convent selon ladite reigle, et en oultre, tous et chascun les religieux refformez dudit convent, lesquelz, ensemble leurs maisons, biens, serviteurs et entremetteurs de leurs affayres, nons avons prins et mys, prenons et mettons en nostre protection et sauve garde especial par ces presentes, vous deffendez et gardez, de par nous, de toute force, violence et molestation. Et pour ce, faittes nostre present sauve garde signiffier et publier es lieux et aux personnes qu'il appartiendra, et dont vous serez requiz, en faisant ou faisant faire expresse inhibition et deffense, de par nous, sur certaines et grans peines a nous a appliquer, a toutes les personnes qu'il appartiendra, que ausdits religieulx, leurs dits

biens, serviteurs et entremetteurs de leurs besoignes, ne meffacent ne mesdient, ou facent meffere ne mesdire, en aucune maniere; et des infracteurs d'icelle nostre sauve garde faittes telle pugnition, correction et repparation que ou cas appartiendra, et que verrez estre a faire par raison; affin que ce soit exemple a tous autres. Car ainsi nous plaist il èstre fait. Non obstant lesdits privileiges, exemptions et libertez, donnez et octroyez, comme dit est, par ledit feu roy René; ausquelz, pour ceste foiz, quand a ladite refformation, pour faire garder et observer, nous, de nostre propre mouvement, plaine puissance et auctorité royal, avons desrogué et desrogons, sans préjudice d'icelles en autres choses, par ces presentes... Donné a Bloys, le XIXe jour d'avril, l'an de grace mil cinq cens et quatre, et de nostre regne le septiesme.

Arch. des B. du Rh. B. 24. Reg. *Draconis*, fol. 202.

XLVI.

LETTRES DE VINCENT BANDELLI,

Unissant le couvent de Saint-Maximin à la congrégation réformée de France. — 21 février 1505.

In Dei filio sibi dilecto reverendo sacre theologie professori Raimundo Gosini, ordinis Predicatorum, congregationis Francie conventuum reformatorum Vicario Generali, frater Vincentius Bandellus de Castro novo, ejusdem facultatis professor, ac prefati totius ordinis humilis generalis Magister et servus, Salutem et spiritum obedientie salutaris. Cum ex officii mei debito, ob reverentiam sacrarum reliquiarum dive Penitentis, exoptante hoc et votis omnibus exposcente christianissimo Rege, conventum regalem Sancti Maximini ad vite regularis tramitem reducere curaverim, tradens sancta instituta, et in priorem preficiens religiosissimum confessorem christianissime regine, magistrum

Ivonem de Britannia; cupiens ut predita reformatio perfecta sit et perpetua, ac stabilis, in diesque augeatur, oportunum judicavi vestre sancte congregationi prefatum conventum annectere. Quapropter, tenore presentium, conventum memoratum Sancti Maximini et locum de Sancta Balma eximo a jurisdictione provincialis provincie Provincie, et cujuscumque alterius prelati ordinis, et annecto ac incorporo in perpetuum vestre congregationi Francie, et trado mere ac libere vestre potestati ac dispositioni; ut super predicta loca eam auctoritatem habeatis quam super alios conventus vestre congregationis habetis. Presertim, ut conventum ipsum, per vos vel per alium, visitare valeatis, removere fratres et alios mittere, officiales mutare et alios subrogare, excepto priore, et salvis aliis privilegiis regiis. Possitis etiam fratres ibidem existentes pro tempore, monere, corrigere, preceptis astringere, ligare, solvere, judicare, incarcerare, penitentiare et dispensare. Et ut optatum ac celerem nostra ista dispositio consequatur effectum, precipio vobis in virtute Spiritus Sancti et sancte obedientie, ut, infra unum mensem ab harum exhibitione, predicta loca acceptetis, et per vos vel per alium cui commiseritis, predicta loca, scilicet, conventum Sancti Maximini et Sanctam Balmam, realiter accipiatis, cum auctoritate removendi fratres quos judicaveritis removendos, et alios subrogandi, officiales mutandi, insolentes et rebelles ejiciendi, vel incarcerandi, vel quocunque alio modo compescendi, advocando etiam, quando opus fuerit, auxilium brachii secularis. Precipiens nichilominus, in virtute Spiritus Sancti et sancte obedientie, et sub pena excommunicationis late sententie, unica pro trina canonica monitione premissa, quam sedens pro tribunali profero in hiis scriptis, omnibus fratribus ordinis nostri, cujuscunque dignitatis, gradus et conditionis existant, quatenus nullus, per se vel per alium, directe vel indirecte, verbo vel facto, vel quocunque alio modo, audeat hanc reformationem impugnare, perturbare vel impedire. Non obstantibus quibuscunque in contrarium facientibus. In quorum fidem, presentes fieri feci, et sigilli officii mei impressione muniri. Datum Mediolani, die XXI[a] fe-

bruarii M°D.V, secundum computationem nostram, A. N. anno quarto.

Arch. de S. Max. Arm. 1, sac 6. Orig.

XLVII.

TROISIÈME DIPLÔME DE LOUIS XII,

Pour faire mettre à exécution les mesures prises pour la réforme du couvent de Saint-Maximin.— 14 mars 1506.

